6
10-f
39

M. 2/3

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
6 A
62

[Bib]liotheca
[C]oll. Rom.
[S]. Jesu

6-10-f. 39
22-c. 52

22. c. 52

SELECTÆ ORATIONES PANEGYRICÆ PATRVM SOCIETATIS IESV.

TOMVS SECVNDVS.

BIBLIOTECA ROMA VITTORIO

SOC. IESV BIBL. SEC. COLL. ROM.
IHS

LVGDVNI.

Sumpt. BARTHOLOMÆI RIVIERE,
in vico Mercatorio, ſub ſigno
Sancti Auguſtini.

M. DC. LXVII.

Cum Approbatione, & Priuilegio Regis.

S. AVGVSTINVS THEOLOGORVM ARISTOTELES

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

SIVE

DE S. AVGVSTINI IN REBVS THEOLOGIGIS AVCTORITATE

ORATIO.

Authore

STEPHANO DE CHAMPS
Societatis IESV.

CVm è Philoſophiæ ſinu digreſſus ad res Theologicas animum appellerem (Auditores ornatiſſimi) mihique Ariſtotelem alium, qui arcana Chriſtianæ religionis myſteria perſ-

crutanti facem præferret, quærendum eſſe intelligerem: continuò venit in mentem Ludouici Cardinalis Arelatenſis ſapientiſſima vox quâ in celeberrimo Baſileenſis Concilij theatro, a *Sanctum Auguſtinum Theologorum omnium Ariſtotelem* eſſe pronũtiauit. Nam ex innumeris ferè Doctoribus, qui ſiderum inſtar naſcenti, vel Eccleſiæ illuxerunt; nullus eſt omnino, qui potiori iure eum inter Theologos principatum ſibi vendicet, quem communis tot ſæculorum conſenſus inter Philoſophos Ariſtoteli conceſſit. Ac ne fortè quis exiſtimet hanc orationem meam gratificari Caluino, & afflictam eorum cauſam ſubleuare, qui vt Auguſtini nomine ad ſpargenda peſtiferæ nouitatis dogmata faciliùs abutantur, eum Catholicæ veritatis regulam eſſe contendunt: iam inde ab hoc aditu palam & apertè profiteor, me in texendâ adornandâque Sancti Auguſtini laudatione ita verſaturum, vt nec verum illi decus eripiam, nec falſum & ementitum affingam. Enimuerò cùm à multis retro ſæculis de ſancti Auguſtini auctoritate certatum ſit inter eos, qui vel nimis illam extenuare, ac propemodum abiicere; vel exaggerare plus æquo, & in cælum tollere conati ſunt: mediam quaſi viam inſtituiſſe, & vtriſque altercandi occaſionem præcidiſſe videtur, qui *Sanctum Auguſtinum Theologorum omnium Ariſtotelem* appellauit. Quod vt liquidò appareat & arcanus tam exquiſiti, meditatique elogij ſenſus euoluatur; duo ſunt mihi hac ora-

[a *Apud Æneam Syluium lib.1. de geſtis Concilij Baſileenſis.*]

tione

tione demonſtranda: vnum eſt, Sanctum Auguſtinum eodem iure Theologorum eſſe principem, quo Ariſtoteles ab omni propè memoria Philoſophorum princeps habetur: alterum, hinc adeo non effici Sanctum Auguſtinum Catholicæ veritatis regulam eſſe, vt contrarium potiùs manifeſtè colligatur.

Tria ſunt quæ glorioſum illud principi Philoſophorum nomen, & a liunct m illi auctoritatem venerationémque Ariſtoteli peperrerunt: ſummum ingenium, quo cætera eruditæ vetuſtatis lumina facilè vincit: eximia & propè incredibilis doctrina, qua tot diſciplinas vnus complectitur, quot ab aliis ſimul omnibus comprehendi vix poſſunt: & admirabilis quædam felicitas, ſeu potiùs Diuini numinis prouidentia cuius ope ac veluti ductu quàm minimè, vt in tanta rerum obſcuritate, & humanæ mentis imbecillitate, hallucinetur & aberret. Summum fuiſſe Ariſtotelis ingenium, & communem mortalium ſolertiam longè prætergreſſum *a* cōſtās eſt opinio doctorū atque ſapientum. Nam etſi apud veteres non ſatis explicata, nec perſpicuè diiudicata ſit illa controuerſia quâ quæri pridem ſolet, quis inter Philoſophorum proceres ingenioſiſſimus extiterit: conſequentes tamen ætates tanto conſenſu ingenij palmam Ariſtoteli detulerunt, vt non vnius Auerrois, ſed communis plurimorum ſæculorum vox illa eſſe videatur, qua Ariſtotelem *b* *humanæ intelligentiæ finem ac metam*

[a *Apud Fonſecam in proœmio metaph. c. 3.*
b *Auerroes libro 3. de anima comm. 14. quod etiam refert Ægidius quodlib. 2.*]

appellat; aítque naturam in fingendo, elaborandóque eius ingenio perfectiſſimum induſtriæ ſuæ *ſpecimen* edidiſſe.

Satis tamen ad Philoſophiæ principatum non erat a *immenſa ſubtilitas*, & b *excellens* ac pæne c *diuinum Ariſtotelis ingenium*: niſi doctrina egregia & ſingularis acceſſiſſet, quæ perpoliret illud diſciplinis omnibus, & infinita rerum cognitione locupletaret. Acceſſit verò tam exquiſita & copioſa, vt qui libros centum & viginti, quos ex d quadringentis ſumma cura ab illo elucubratis habemus, non deſultoriè, ſed diligenter & attentè peruolutarit: aſſenſurus ſit illud nobiliſſimis eius interpretibus, e *ſupra humanum captum* eſſe & in f *maximis miraculis* numerandum, quòd cùm diſciplinas omnes vnus amplectatur, perinde tamen in quali͏bet excellit, ac ſi in ea duntaxat perdiſcenda excolendáque ætatem contriuiſſet.

Quanquam, Ariſtotelem non tam egregia vis ingenij, & diſciplinarum omnium acceſſione cumulata doctrina; quàm felicitas quædam inſignis, & mira Dei prouidentia, ad ſupremum Philoſophiæ culmen extulit. Nam Chriſtiani pariter ac profani Philoſophi, qui eius doctrinæ vehementiùs addicti ſunt atque conſecrati, tum hoc admirantur præcipuè, quod in peruestigandis euoluendíſque naturæ arcanis minimè omnium à veritate deflexerit: tum id

[a *Plin. l. 18. c. 34.* b *S. Auguſtinus lib. 5. de Ciuitate c. 12.* c *Cicero lib. 1. de diuinatione.* d *Laërtius in Ariſtotele.* e *Ammonius in vita Ariſtotelis, quam præfixit interpretat. categor.* f *Auerroes in proœmio phyſic.*]

a Diuino muneri, & peculiari prouidentiæ ad eius ſtudia ferè ſemper aduigilanti, atque ipſi quodammodo collaboranti tribuendum eſſe decernunt.

Age nunc porrò, ſi philoſophorum princeps iure merito Ariſtoteles habetur, quòd ad exploranda naturæ arcana tam eximiis ingenij, doctrinæ, ac Diuini etiam auxilij præſidiis inſtructus acceſſerit: quo inter Theologos numero S. Augſtinum eſſe oportet, qui ad res diuinas explicandas hæc eadem tam ampla, & exaggerata contulit; vt tantùm in ſingulis Ariſtotelem vincat, quantùm Ariſtoteles ipſe alijs omnibus antecellit? Nam vt ab ingenio exordiar, ex quo prima litterati hominis commendatio ducitur, ego ſic exiſtimo: Ariſtotelem quidem profanorum omnium atque philoſophorum; Sanctum Auguſtinum verò mortalium plane omnium ingenioſiſſimum extitiſſe. Si leuior eſſet iſta vulgariſque laus ſatis ad fidem illi conciliandam videretur, perquàm ornata veterum ſcriptorum verba, quibus Auguſtinus b *Aquila* & veluti *Phœnix ingeniorum* appellatur, recitare: ſed cùm ampliſſima ſit, planéque ſingularis, ſolidioribus argumentis, nimirum Apoſtolicæ Sedis auctoritate, Sanctorum Patrum teſtimoniis, & multiplici ratione probanda eſt.

Audite igitur non oratorem de ſchola ambitioſo verborum apparatu tenuiſſima quæque exaggerantem; ſed veritatis aibi-

[a *Apud Dandinum in præfat. libror. de anima.*
b *Apud Lancillot. l. 3. de vita S. Aug. cap. 34.*]

trum, Diuini numinis interpretem, Chriſtianæ religionis oraculum, & Romanæ Sedis Antiſtitem Martinum V. a *Vnus Auguſtinus*, inquit, *omnium Patrum, ſapientiúmque ingenia exhibet.* Quid ad S. Auguſtini acumen cæteris omnibus præferendum magnificentius dici aut cogitari poteſt? Non tam ingenioſorum vertex appellatur, quàm ſumma atque compendium: nec præſtantiſſimis tantùm ingeniis antecire, ſed ex omnibus ſimul collectis, & veluti in vnum confluentibus componi perhibetur.

Ac prima quidem tam excellentis ingenij, & inter mortales omnes eminentis indicia tum dedit, cùm admodum adoleſcens, & vix vlla litterarum cognitione tinctus, reconditiores artes & diſciplinas per ſe ipſe, ac ſua ſponte celeriter arripuit. Sic enim Auguſtini propria eſt laus iſta, vt de nemine vno memoriæ proditum ſit, quod de ſe, non gloriandi, ſed Diuini muneris prædicandi causâ, vir omnium modeſtiſſimus profitetur. Ait tantùm ſe b *intelligendi celeritate & diſcutiendi acumine* valuiſſe, vt adoleſcentulus non artes tantùm liberales, ſed abſtruſiſſima quæque Mathematicorum myſteria, *nullo hominum tradente intellexerit.* Parum eſt: Diuinum illud ingenium, vel cùm efflореſceret primùm, altiùs ſeſe extulit. Ariſtotelis categorias, quàm ſpinoſum, Deus immortalis! & implicatum opuſculum! cum reliquis Dialecticorum argutiis, quæ ſubtiliſſi-

[a *Martinus V. in ſermone de tranſl. S. Monicæ, habetur in hiſtor. Auguſtinian.a Toloſæ edita pag.* 474. b *Lib.* 4. *Confeſſ. cap. vltimo.*]

mam

mam mentis aciem præ tenuitate ſua fugere ſolent, niſi figuris quibuſdam illigatæ, ſub oculis quodammodo à ſolerti præceptore ſubiiciantur, non modò *ſolus intellexit*; ſed primo illo veluti contuitu penetrauit ea omnia; quæ ab aliis, etſi ingenioſiſſimis, laborioſè duntaxat, & adhibitis interpretibus perdiſcuntur. O ſingularem, & hactenus inauditam diſcendi, intelligendíque celeritatem! ô præſtantiſſimum, & poſt homines natos longè acutiſſimum ingenium! de quo vſurpari verè poteſt, quod de ſuo Adeodato, nonnihil, vt fit, amoris paterno idulgens, affirmabat, a *horrori mihi eſt illud ingenium*, vel ingenii potiùs *miraculum*, atque portentum.

Verùm etſi primus ille exorientis ingeniorum ſolis fulgor, clariſſima ætatum omnium lumina obſcurárit: multò tamen ſplendidiores emiſit radios, cùm adulta iam & corroborata luce meridianus effulſit. Enimuero ætate prouectior, tot latebras aliis intentatas, tot receſſus humanis mentibus inacceſſos penetrauit: vt peritiſſimus ingeniorum æſtimator S. Thomas, quod ad perſpicacem Diuini numinis ſolertiam commendandam à Propheta dicitur, b *Profunda fluuiorum ſcrutatus eſt, & abſcondita in lucem produxit*, vni ex omnibus mortalibus Auguſtino accommodet, aſſerátque, c *ſcrutatum eſſe profunda quatuor fluuiorum. ſcripturæ, creaturæ, culpæ, & gratiæ.* Quis enim profundum illud diuinæ gratiæ flumen, cuius altitudo

[a *Lib. 9. Confeſſion. cap. 6.* b *Iob. 28. num. 11.* c *S. Thomas ſermone de S. Auguſtino.*]

ſuperiores Chriſtianæ religionis Antiſtites ab eo pertentando deterruerat, inueſtigauit? a *Præſtantiſſimus miniſter gratiæ Auguſtinus*: qui altiùs ſeſe in eius fontes immergens, ipſum quoque, ex quo profluunt, æternæ prædeſtinationis oceanum, quoad homini licet, explorauit. Quis immenſam peccati originalis voraginem, nobilitatam illam quidem mortalium omnium naufragiis, ſed nihilo minus humanis mentibus imperuiam ſcrutatus eſt? b *Abyſſus ſapientiæ Auguſtinus*: qui per naturæ vulnera, & hereditarias calamitates, à primo parente quaſi patrimonium quoddam iniquitatis in poſteros transfuſas, ad ipſum mali caput, fontémque peruenit. Quis natiuam creaturæ imbecillitatem, ipſúmque adeo eius nihilum, tot inexploratum ſæculis, planéque incognitum indagauit? c *Omnium reſerator Auguſtinus*: qui vt diuinæ gratiæ ſplendorem, cuius radiis perſtricta cæterorum acies hebeſcebat, propiùs cognouit; ſic creaturæ infirmitatem, quæ nimia obſcuritate ingenioſiſſimum quemque à cognitione ſua repellebat, penitus introſpexit. Quis denique difficillima ſacrarum litterarum loca, quibus incluſi tot myſteriorum fontes & abſconditi latebant, enodauit? d *Oraculum legis Auguſtinus*: qui ſubtiliori mentis acie per abdita, & aliis intercluſa permeans, penitiſſimos ſcripturæ ſenſus in lucem protulit; ſic vt Romanus Pontifex aſſerat, e *nihil pane ex ſacris lit-*

[a *Proſper epiſt. ad Ruffinum.* b *Poſſid. ad Maced.* c *Paulin. epiſt. ad Valer.* d *Audax epiſt.* 139. *apud Auguſt.* e *Martinus V. in ſermone de Tranſ. S. Monicæ.*]

teris

teris poſſe niſi eo duce intelligi, nihil niſi eodem interprete explicari.

Sed cur ego ſingulatim argumenta perſequor, quibus Auguſtinus velut apex quidam ingeniorum inter litteratos eminere, & cæterorum luminibus obſtruere demonſtratur? cùm & eum conſtet de qualibet quæſtione ſcribere ingreſſum, repentè æſtu quodam ingenij procul à terra abripi, & in altum à conſpectu omnium abſtrahi: & verò aures noſtras feriant voces iſtæ, quibus ſuperiora ſæcula ſic reſonant, vt ad omnem poſteritatem referantur: a *Auguſtinus omnes Eccleſiæ Doctores ingenio vincit incomparabiliter.*

Bene habet: eò iam Auguſtinum extulimus, vnde homini laborioſo & vigilanti facilis eſt ad ſummam doctrinæ laudem aſcenſus. Nam qui tantùm mentis acie valet, ſi non obſoleſcat in otio, ſed ſuum omne tempus ſtudiis impenpendat, longè omnes multúmque eruditionis varietate ac copiâ ſuperabit. Quantùm igitur in accurata rerum Theologicarum cognitione vnus inter omnes Auguſtinus excellit? qui cùm adoleſcens diuinum illud ingenium humanioribus primùm litteris, tum aliis artibus ac ſtudiis, quibus ad maiora præluditur, commodaſſet: totum poſtea Theologicis rebus ſic impertiit, vt per alias quidem diſciplinas aliquandiu peregrinatus, in hac autem habitaſſe, ac veluti ſedem & domicilium collocaſſe videatur. Neque verò vna tantùm hæc ratio ſum-

[a *Vincent. Bellou. ſpeculi doctrin. lib.* 17. *cap.* 51. *Iſidorus Hiſpal. lib.* 8. *origin. Hugo Victorinus didaſcal. lib.* 4. *cap.* 14]

mam fuiſſe in Auguſtino Theologicæ doctrinę copiam oſtendit; ſed eódem conſpirant argumenta omnia, ex quibus certa de hominis eruditione coniectura capi ſolet. Nam ſi hominis doctrinam earum rerum, quas optimè notas habet atque comprehenſas, amplitudine metimur: quis Auguſtino de eruditione Theologica non concedat? cùm nullam huius doctrinæ partẽ eum fugiſſe teſtis ſit perhonorifica illa, quæ pridem apud omnes increbuit, Voluſiani ſententia: a *Cùm ad Auguſtinum venitur, legi deeſt quidquid contigerit ignorari.* Iam verò ſi de alicuius eruditione exiſtimamus ex libris quos & omni cura limatos & numero propemodum infinitos emiſit in lucem: quis in Theologicis Auguſtino peritior? qui tã multa de fidei noſtræ myſteriis exquiſitè planeque diuinitus ſcripta reliquit; eum vt veteres b *Chriſtianum Varronem voluminum magnitudine* appellent, dicántque tractatus illius omnes ne c *dinumerari* quidem poſſe, nedum attentè ac diligenter ab homine vno *perlegi.* Denique ſi ex hæreſum, quibuſcum aliquis ætate tota fœliciter conflixit, ſubtilitate ac numero rectè colligitur, quanta ſit in eo ſacræ doctrinæ vbertas & copia: quis in omnibus Theologiæ partibus Auguſtino eruditior? qui Manichæorum laqueis extricatus, fanaticam illam quidem, ſed verſi-

[a *Voluſianus epiſt. 2. ad Aug. quæ eſt 2. inter. Auguſtinianas.* b *Claudianus Mamertus lib. 3. de ſtatu animæ.* c *Ado in Martyrol. ad 5. Kalend. Septemb. Victor Viicenſis lib. 1. de perſec. Vandal. Iſidorus Hiſpal. lib. 6. originum. Poſſid. in vita S. Auguſt. cap. 18.*]

pellem.

pellem admodum & incredibili principum ſuorum doctrinâ gloriantem hæreſim debellauit: qui vaferrimam Donatiſtarum ſectam totâ paſſim Africâ impunè graſſantem, leuioribus primùm opuſculis, ſic tanquam velitationibus, fregit; tum integris voluminibus, quaſi iuſtis præliis, attriuit penitus atque profligauit: qui naſcentem Pelagij hæreſim, & miris artibus atque præſtigiis Catholicos ludificantem, non iis tantùm diſſimulationis integumentis euoluit; ſed tergiuerſantem inſequi, & vires ſubinde inſtaurantem repetitis ictibus confodere vſque eò non deſtitit, dum ad eius pedes debilitata & exanimis concideret: qui ſuperiorum temporum errores ferè omnes renaſcentes iterum, & vetera in Eccleſiam bella maiori fallaciarum apparatu renouantes exarmauit, iugulauit, deieuit: qui futuras etiam hæreſes multò antè peremit, quàm ex inferis emergerent; cùm ex eius ſcriptis, tanquam ex munitiſſimo a *armamentario* depromãtur validiora tela, quibus errorũ monſtra, ſimul ac prodeunt in lucé, cõfigi ſolent: vt meritò à SS. Patribus b *hæreſi. o-um malleus*, atque c *debellator*, & *omnium quæ ſi.iẽ turbare poterant hæreſum* extinctor appelletur.

Nemo eſt, opinor, qui poſt tanta ſummæ eruditionis argumenta mihi ſucccenſeat, percelebre illud elogium, & apud ſanctos Patres peruulgatum vſurpanti: e *Auguſtinus omnes Eccleſiæ*

[a *Paulib: epiſt.* 1. *ad Aug.* b *Sanctus Bernardus ſerm.* 80. *in Cant.* c *Caſſiodor. lib. de diu. lect. cap.* 22. d *Beda tom* 4 *lib. de tabern. & vaſis* e *Iſid. Hiſpal. l.* 6. *origin. Hugo Victor. didaſc. l.* 4. *cap.* 14 *Vincent. Bellou. ſpec. doct. lib.* 17. *cap.* 51.].

Doctores ſcientiâ vincit. Sed erit fortaſſe qui neget, ſingularem illi Diuinæ lucis copiam, & ſupremi numinis curam adfuiſſe, quâ opitulante, rarò admodum, pro tanta difficillimarum rerum varietate, aberraret. Næ ille vehementer fallitur, qui de Auguſtino ſic ſentit; cùm in ea re, quæ ad Theologorum principem omni laude cumulandum maximè requiritur, tantùm aliis præſtiterit, vt quæ in ſingulis, animaduerſa ſunt Diuinæ illius prouidentiæ ſigna, in hoc vno & clariora, & collecta cernantur. Scio Thomam Aquinatem *a* tam copioſum è cælo lumen hauſiſſe, vt perinde ac ſi ipſum veritatis ſolem intimis viſceribus incluſum premeret, cum radiis toto pectore emicantibus pingi ſoleat: ſed potiori quodam iure rutilans ille corporis habitus Auguſtinum decet; cùm Seuerus radiantem in eius pectore iuſtitiæ ſolem tremulis & conniuentibus oculis intuens, exclamet: b *viſcera tua, viſcera perfuſa lumine veritatis, & refulgentia veritatem.* Non ignoro S. Bernardum, quòd inſtillatam potiùs à matre ſapientiæ, quàm proprio labore comparatam doctrinam habuerit, ita vulgò depingi; vt nixus genibus, profluentem ex Virginis papillis ſponte rorantibus lactis riuulum Diuinus Chriſti collactaneus ebibat: ſed Auguſtinus nobiliori quadam ſpecie, & ad cæleſtem doctrinæ ſuæ originem declarandam magis accommodata debet adumbrari, cùm perſæpe in-

[a *Molanus lib.* 3. *de Hiſtoria Sanctarum Imag. cap.* 8. b *Seuerus epiſt.* 37. *inter Auguſtinum.*]

ter Chriſti vulnera ſanguine ſtillantia, atque Virginis mammas lacte manantes poſitus, & gemino illo liquore delibutus ac madens, diceret: a *hinc paſcor à vulnere, hinc lactor ab vbere.* Noui Gregorium Magnum, quòd ex Spiritus ſancti afflatu plurima ſcripſerit, *b* pingi cum aduolante cælitus columba, quæ aures eius vellat, & in eas neſcio quid inſuſurret: ſed auguſtiorem ſibi formam Auguſtinus vendicat, cùm ex grauiſſimo plurimorum Patrum teſtimonio, ita c *ſpiritu reuelationis illuminatus* fuerit, vt plerumque d *docente* ac veluti e *dictante Spiritu ſancto* ſcripſiſſe videatur. Certè non poterat mortalis homo in tantâ difficillimarum quæſtionum, quas primus enodauit, obſcuritate ac multitudine, non deerrare multò frequentiùs & incurrere: niſi lux aliqua cœlo allapſa viam oſtendiſſet, & Diuina quædam manus nutantem ſubinde atque vacillantem ſuſtinuiſſet.

Cùm igitur Auguſtinus non admirabili tantùm ingenij præſtantiâ, & ſingulari doctrinæ vbertate; ſed Diuino etiam afflatu omnes Eccleſiæ Doctores facilè vincat: quis illi inter Theologos principatum non deferat eum, quem Ariſtoteles apud philoſophos eſt adeptus? Atque eo facere id im-

[a *Valdor. in theatro Relig. fol.* 123. & 338. b *Ioannes Diaconus lib.*4. *vitæ S.Gregorij cap.* 69 & 70. c *Paulin. epiſt.* 249. *inter Auguſt.* d *Hugo Victorin. tom.* 2. *ſerm.* 99. e *Paulin. epiſt.*35. *inter Auguſtin. Rupert. lib.*7. *de oper. Sp.S. cap.*19.]

pen'ſiùs

penſiùs debemus, quòd res non ſemel præiudicata,& communi Theologorum Patrúmque conſenſu, ac ipſius etiam Eccleſiæ auctoritate, propemodum definita videatur. Sic enim pugnatricis Theologiæ parens Petrus Lombardus, ſic Angelicus Doctor Thomas Aquinas, aliíque ab aliis profecti Theologi cenſebant: cùm Lombardus quidem ex vnis ferè Auguſtini ſententiis opus illud concinnârit, cui tanquam ſtamini ſcolaſticæ diſputationes ſubtegminis loco intexuntur: Aquinas autem a *Auguſtini veſtigiis ingredi*, cúmque in ſeipſo b *rediuiuum* ac ſpirantem exhibere conatus ſit: alij verò ita pro ſe quiſque Auguſtinum in doctrinæ ſuæ patronum ac veluti fundum aſciuerint; vt Vincentius Ferrarienſis affirmet, eũ inſtar habere c *aurei candelabri*, quod omnia Theologiæ lumina *ſuſtentet*. Sic etiam ſtatuebant qui ante natam ſcholaſticen pietatis & doctrinæ laude floruerunt: cùm ab iis Auguſtinus. d *Pater Patrum, Doctor Doctorum*, e *Sol* Theologorum appelletur. Sic ipſa quoque ſenſiſſe videtur Eccleſia; cùm vnum ex Sanctis Patribus Auguſtinum delegerit, cuius ſententias oraculis ſuis frequentiſſimè infereret, cuius verbis plurima conciperet fidei decreta, cuius ore ſæpiſſimè in Conciliis loqueretur. Ita f *Eccleſiæ lingua* poſt mortem habetur Au-

[a *Vrban.V.in Bulla tranſl.Corp.S.Thomæ.* b *Sixtus Senenſis Bibl.l.*4 c *S.Vincentius Ferr. ſerm. de ſancto Auguſtino.* d *Poſſidius in epiſt.ad Maced.* e *Remigius Antiſſiod. ſuper* 2. *ad Corint.* f *Petrus Damian.ſerm.*61.]

gustinus

guſtinus,qui dum viueret a *Conciliorum* mens & *ingenium* dici meruerat.

At hic neſcio quis opſtrepit mihi, & præ gaudio, ſui vix compos interpellare dicentem geſtit, atque in orationem meam inuolare. Sentio quid hominis ſit: nouæ ſectæ myſteriis initiatus eſt; ex principis ſui ſenſu omnes Auguſtini laudes interpretatur, méque hoc ipſo catholicæ veritatis regulam in eo ſtatuiſſe putat, quòd Theologorum Ariſtotelem eſſe demonſtraui. Sed faxo vt intelligat longe ſecùs rem habere, atque hoc elogio Diuinam auctoritatem, quam Caluinianorum fœderati Sancto Auguſtino contrà quàm ipſe præſcribit, arrogant, labefactari. Quæ eſt enim, amabo, auctoritas illa, qua pridem Ariſtoteles Chriſtianos philoſophos ſibi deuinctos tenet? non ea profectò, quam apud Arabes obtinebat, cùm abhinc annos prope quingentos, tanquam philoſophiæ Deus in quem d *nullus omnino error* caderet, Auerrois commendatione coleretur. Nam cùm per illud tempus Ariſtotelis nomen, quo Hiſpania tota perſonabat, vicinis in Galliis audiri cœpiſſet, veriti Eccleſiæ Præſules, ne ſi Pariſienſem in Academiam eâ occaſione irreperet, parem ſibi apud aliquos conciliaret auctoritatem: tanto ſtudio ad intercludendum illi aditum incubuere, vt

[a S. *Proſper carm. de ingratis.* b S. *Auguſtinus epiſt.* 111. *& lib. de dono perſeu. cap.* 21. c *Franciſcus Patricius tom.* 1. *diſcuſſ. Perip. lib.* 13. d *Auerroes in procem. lib.* 1. *Phyſ. ſub finem.*]

Con.

Concilium Senonenſe, a *Ariſtotelis Metaphyſicam comburi*; Cardinalis verò S. Stephani Apoſtolicæ Sedis legatus, etiam libros b *de naturali Philoſophia non legi*; & ſummus ipſe Pontifex Gregorius IX. c *Magiſtros artium libris illis naturalibus non vti* mandauerit.

Dum Ariſtotelis Phioſophia tot ignominiæ notis inuſta Pariſiis exularet, & qui vel leuiter eam attigiſſent, *d* hæreſis ſuſpicione aſpergerentur, commodùm adfuit e *auctor regnantis Ariſtotelis* (ſic à Luthero per contumeliam, ab aliis verò per ſummum honorem Sanctus Thomas appellatur) qui tum ſingulari ſolertia, tum Diuino quodam inſtinctu peruidens, quónam illa aduersùs Ariſtotelem Eccleſiæ decreta pertinerent; viam in eo conſectando iniuit illam, quam deinceps Chriſtiani Philoſophi, probãte Apoſtolica Sede, & toto plaudente orbe Catholico tenuerunt. Nimirum ſummam in rebus Philoſophicis Ariſtoteli auctoritatem tribuit: at humanam duntaxat, & quandoque repudiandum: inhærendum ſibi eius veſtigiis eſſe duxit, ſed quoad vis quædam maior aliò non vocaret. f clariùs dicam, Ariſtotelem non Philoſophiæ Deum, ſed principem eſſe voluit, qui pro humana infirmitate obnoxius ſit

[a *Concil. Senon. an. Chr.* 1209. *cuius meminit Rigordus in vita Phil. Aug.* b *Decretum Card. S Steph. anni* 1215. c *Conſtitutio Greg. IX. ad Vniuerſ. Pariſ. anno.* 1231. d *Apud Henricum Gandau. lib. de ſcript. Eccl. cap.* 24. e *Lutherus in confutatione ration. Latom ſub finem.* f *Canus lib.* 10. *de locis Theolog. cap.* 5.]

erro

errori, & à quo non impune tantùm, ſed etiam honeſtè quandoque diſceditur. Vix hac conditione Philoſophorum in ſcholis, regnare Ariſtoteles cœpit: cùm ij ipſi, qui omni conatu obſtiterant, ne quam Cordubę tyrannidem occuparat, Lutetiæ inuaderet, tam legitimum illi principatum ſuapte ſponte adiudicarunt. Nam & doctiſſimi Cardinales Apoſtolicæ Sedis legati, *a* Ioannes, Ægidius, & *b* Totauillæus qui dilapſam Pariſienſis Academiæ diſciplinam nouis legibus aſtrinxere, ſic temperatæ Ariſtotelis auctoritati primas in Philoſophiá detulerunt: & præſtantiſſimi Theologi, qui ad 12. millia Ariſtotelis Philoſophiam editis in lucem commentariis expoſuere, nefas ſibi eſſe putauerunt, ab eo deficere; niſi cùm illud *d* vel Catholica fides, vel ratio coruſcante meridiano ſole clarior, vel communis Doctorum omnium conſenſus imperet.

Hæc erat apud Chriſtianos Philoſophos Ariſtotelis auctoritas, cùm Ludouicus Cardinalis Arelatenſis, in ampliſſimo Baſileenſium Patrum conſeſſu *e* *Auguſtinum Theologorum omnium Ariſtotelem* nuncupauit. Cenſebat igitur vir tantâ e doctrinâ, vt f *ad generalium Conciliorum gubernationem natus* diceretur, Sanctum Auguſtinum non alia vnquam lege Theologorum in ſcolis regnaſſe, quàm quæ

[a *Decretum Cardinalium Ioannnis & Ægidij, anno* 1361. b *Decretum Cardinal. Totauill. an.* 1452. c *Franc. Patricius tom.* 1. *Diſquiſ. Peripat. lib.* 10. *ſub finem.* d *Ædigius in tractatu de erroribus Ariſt. & in* 1. *diſt.* 1. *p.* 1. *q.* 1. *a.* 2. e *Spondanus ad ann.* 1438. *num.* 11. f *Æneas Sylvius lib.* 1. *de geſtis Concilii Baſil. pag.* 25.]

Ariſtoteli Chriſtianorum gymnaſia ingredienti eſt impoſita. Atque cum verè id ſenſiſſe demonſtrat vetus admodum, & iam inde ab ipſis ſcholaſticesq; incunabulis repetita conſuetudo S. Auguſtinum eaſdem ob cauſas Theologicis in rebus deſerendi, propter quas Ariſtoteles in Philoſophicis abiicitur.

Primùm enim vt Chriſtiani Philoſophi Ariſtotelem palam eiurant, ſi fidei decretis aduerſetur: ſic Theologi S. Auguſtinum apertè abdicant, ſi ab Eccleſiæ & Romanorum Pontificum ſanctionibus diſſideat. Nam vt præclarè, & ad frangendam Ianſenianorum audaciam per quã appoſitè, Sanctus Thomas aſſerit, *a Auctoritas Eccleſiæ principaliter reſidet in ſummo Pontifice, contra cuius auctoritatem nec Auguſtinus, nec aliquis Sanctorum Patrum ſuam ſententiam defendit* Hinc eſt quòd nobiliſſimi Theologi, etſi fateantur S. Auguſtinum in ea fuiſſe opinione, quæ paruulos originali peccato immorientes æternis ignibus addicit: contrariam tamen, quòd Innocentij III. decreto ſtabilita ſit, amplectuntur, aiúntque audacter ac liberè: *b in hoc non tenetur S. Auguſtinus.*

Deinde vt Philoſophi ab Ariſtotele diſcedunt, ſi manifeſta in eum ratio ex plurimorum ſæculorum experientiâ, vel aliunde accerſita pugnet: ſic Theologi eandem ob cauſam ab Auguſtino diſſentire, non modò licitum ſibi, ſed etiam neceſſarium arbitrantur. Cùm enim idcirco tantùm ſummis

[a S. *Thoma* 2.2.q.11.a.2.ad 3. b *Viguerius* §.6. *de peccato originali poſt S. Bonauent. Scotum & Theologos ferè omnes.*]

illis

illis viris longè quàm aliis maior adhiberi fides debeat, quòd a *rationabiliùs ſint locuti*: plus profectò manifeſtæ rationi, quàm eorum auctoritati tribuimus: & b *quando*, inquit Abulenſis, *inuenitur ratio neceſſariò oſtendens contra Auguſtinum*; rationi potiùs quàm Auguſtino aſſentimur. Atque id vnâ voce docti omnes approbant, cùm Auguſtinum pugnantem acriter, c *nimis abſurdum* eſſe, & *nulla ratione credendum*, homines aliquos ex Adami ſtirpe prognatos *aduerſa pedibus noſtris calcare veſtigia*, eam ob rem non audiunt, quòd huic opinioni aperta ratio, & conſtanti plurimorum ſæculorum experientiæ innixa, refragatur.

Poſtremò, vt apud Philoſophos iacet auctoritas Ariſtotelis, ſi communis illi Doctorum omnium conſenſus opponatur: ſic apud Theologos repudiatur Auguſtinus, ſi Patres omnes aduerſantes habet atque repugnantes. Nam vt pridem à d Vincentio Lirinenſi ſapienter animaduerſum eſt, conſpirans ille ac pæne conflatus tot Doctorum conſenſus Diuinum aliquid redolet, quod ſingulari cuiuſlibet hominis auctoritati longè ſit anteponendum. Quo effato & manifeſto per ſeſe, & ex firmiſſimis Chriſtianæ fidei fundamentis deprompto, fretus Concilij Tridentini orator Epiſcopus Bituntinus fidenter exclamat: e *Abſit, vt propter Vnius Auguſtini auctoritatem, à Sanctis Patribus & à ratione diſcedam. Diſpliceret mihi & ipſi*

[a *Ægid.in 1.d.1.p.1.q.1.a.2.* b *Toſtat. parte.2. defenſ.cap.85.* c *S. Auguſt.lib.16.de ciuit.cap.9.* d *Vincentius Lirin.aduerſus hæreſ. cap. 39. 40.* e *Cornelius Muſſus in cap.5.epiſt.ad Romanos.*]

Augu

Auguſtino, ſi tot tantiſque reiectis Patribus illi vni adhærerem. Eodem conſiſi oraculo *a* Theologi perinſignes, ita fatétur S. Auguſtinum exiſtimâſſe mundum hunc aſpectabilem puncto temporis conditum, & ornamentis omnibus expolitum fuiſſe: vt hanc eius opinionem, quòd à communi Sanctorum Patrum ſenſu plurimùm abhorreat, reiiciant.

Furit hac oratione meâ exulceratus inuerecundæ nouitatis fautor, Deúmque ac cælites omes conteſtans, S. Auguſtini dignitatem violari, eiúſque auctoritatem indigniſſimè abiici vociferatur.

Sedquid ego in Auguſtinum peccaui, qui S. Thomæ Aquinatis, quem *b* Auguſtinus ipſe præcipuum doctrinæ ſuæ interpretem agnoſcit, ſententiam fideliter expoſui? qui clariſſimorum Theologorum, à quibus principis loco habetur, perpetuam atque conſtantem in eius doctrina quandoque deſerenda conſuetudinem candidè ac ſimpliciter retuli? qui Diuinam auctoritatem, quam ipſe ſibi abiudicat, tribuendam illi non eſſe demonſtraui? Quid eſt enim à me, vel ab iis quos appellaui, ad ſupremam illam auctoritatem Auguſtino detrahendam, dictum paulò liberiùs, quod non ſit ab eo ſæpius inculcatum? c *Neminem,* inquit: *velim ſi amplecti omnia mea, vt me ſequatur, niſi in quibus me non errare perſpexerit. Nam propterea nunc facio libros, in quibus opuſcula mea retractanda ſuſcepi, vt nec me*

[a *Magiſter in* 2. *diſt.* 12. S. *Bonau. ibid. q.* 2.
b *Apud* S. *Anton.* 3. *p. hiſt. tit.* 33 *cap.* 7. §. 12.
c S. *Auguſt. lib. de dono perſeu. c.* 21.]

ipſum

ipſum in omnibus me ſecutum fuiſſ[e] a[d]mo[ne]ſ[t]rem. Si quis noſtrûm de Auguſtino iſta dixiſſet, vt Ianſenianorum conuitiis vapularet! vt ab iis omni orationis diritate laceraretur!
Pergit tamen Auguſtinus: c *Noli meis litteris, quaſi ſcripturis canonicis, inſeruire.* Diſertè id quidem: paulo tamen preſſiùs & anguſtiùs; copioſiſſimè alibi atque vberrimè: b *Neque enim,* inquit. *quorumlibet diſputationes, quantumuis Catholicorum & laudatorum hominum velut ſcripturas canonicas habere debemus, vt nobis non liceat, ſalua honorificentia, quæ illis debetur hominibus, aliquid in eorum ſcriptis improbare, atque reſpuere, ſi fortè inuenerimus, quod aliter ſenſerint, quàm veritas habet, Diuino adiutorio vel ab aliis intellecta, vel à nobis. Talis ego ſum in ſcriptis aliorum; tales volo eſſe intellectores meorum* Quàm hîc vereor, ne Auguſtinum ipſum violatæ per ſummam iniuriam auctoritatis ſuæ Ianſeniani poſtulent! Vnum certè obſtare videtur, quominus id faciant; quòd iſta de ſe non tam ex rei veritate, quàm ex ſingulari modeſtia, & animi demiſſione ſcripſiſſe c putent: abſque hoc foret, in eum reciderent maledicta omnia, quibus obruimur. Quanquam, ne iſtud quidem prætexere meritò poſſunt. Quamuis enim Auguſtinus nihil de ſeipſo dixiſſet: quod tamen generatim præſcribit, *Canonicis* duntaxat libris honorem iſtum *deberi*, vt nihil in is *improbare atque reſpuere liceat*: ſatis eſt ad Diuinam illi auctoritatem, quam, inuito atque repugnanti per vim obtrudunt, abrogandam.

[a *Lib. 3. de Trinit. c. 1.* b *Epiſtola tertia.* c *Apolog. ianſ. art. 9*]

Atenim

Atenim auctoritas tanta quantam Sanctus Auguſtinus, dum viueret, *Catholicis & laudatis* ſcriptoribus impertiendam negabat, illi ipſi poſt mortem acceſſit: cùm pluribus Eccleſiæ Romanæ decretis eius doctrina honorificentiſſimè conſecrata eſt. Quis hæc audiens non exiſtimet, Romanos Pontifices, Auguſtini volumina omnia, quanta quanta ſunt, eorúmq; ſententias ſingulas, atque ipſos quodam modo apices Apoſtolicâ auctoritate comprobaſſe? Et iſtud tamē adeo non eſt factum, vt ne fieri quidem ad hanc diem potuerit. Cùm enim Eccleſia (ſic ingenioſè *a* Toſtatus argumentatur) de paucis ac breuiſſimis quæſtionibus ſententiam latura, plures quandoque annos in iis ponderandis atque diſcutiendis poſuerit: ſi vel vnum S. Auguſtini volumen, cum ſingulis eius pronountiatis, ac vocibus probare & iudicio ſuo conſecrare vellet, vix *anni ducenti* tam difficili & laborioſo examini ſufficerent.

Nihil agimus (Auditores) nouæ inſtruuntur machinæ, *b* armantur in nos celeberrima Concilia duo: quorum alterum *c S. Auguſtini opuſcula recipit*, alterum *d* ſe *in omnibus ſequi Auguſtinum* profitetur. O te verſipellem atque fraudulentum, quiſquis iſtud opponis! Cur enim diſſimulas Sanctum Auguſtinū vtrobiq. non appellari ſingulariter, ſed promiſcuè cum aliis Patribus, atque adeo cum Græcis quos non leuioribus tantum maculis aſperſos, ſed etiam atrâ Pelagianę hæreſis fuligine de-

[a *Toſt. defenſ. p.* 2. *cap.* 81. b *Epiſt. Abbatis ad Epiſt.* c *Conc. Roman. I, ſub Gelaſio.* d *Synodus V. Collat.* 3.]

colo

coloratos fuiſſe contendis? Deſine ergo communia hæc, ſparſáque in multos ſine diſcrimine vllo præconia ambitioſiùs venditare: atque hoc diſce, quod pridem a *mundi ſtupor*, *b* Alphonſus Toſtatus, & Pariſienſis Theologus *c* Ioannes Gerſon obſeruarunt: generali iſtâ & Patres omnes peræquè cõprehendenti approbatione, non eam Auguſtino auctoritatem conciliari, quæ omem ab eo ſuſpicionem erroris amoueat. Deſine & illa Summorum Pontificum oracula nobis intentare, quæ vnius Auguſtini ſic meminere, vt generatim duntaxat eius doctrinam admirentur ac prædicent. Cur enim hinc ſupremam illam Auguſtini auctoritatem colligas: cùm eam nolis Thomæ Aquinati deferre, quem & Romanus Pontifex d *tot miracula feciſſe, quot quæſtiones* & Chriſtus ipſe, e *bene ſcripſiſſe de ſe* generatim affirmauit?

Extorſimus tandem, vt ſingularem aliquam Auguſtinianæ doctrinæ approbationem Aduerſarius proferret: ſed quàm magnificè, quàm inſolenter illam oſtentat! diceres eum fulmen aliquod librare, quo nos breui obterendos non dubitet. Quid ceſſas? ictum expectamus. Ais Romanos Pontifices, doctrinam Auguſtini de f *arbitrio libero, & gratia Dei* comprobâſſe, & g *Romanam Eccleſiam eam ſequi ac ſeruare.* Adde neminem ei Catholicum aduerſari; ſub-

[a *Aub. Miræus in auctar. cap.* 471. b *Toſtat. defenſ. part. 2 c.* 83. c *Gerſon. tract. de examin. doctrin. cenſur.* 1. d *Ioannes XXII. apud Gerſon. Parte* 2. *pag.* 511. e *Bulla canoniz. S. Thomæ.* f *Hormiſda epiſt* 7. *ad Poſſ.* g *Ioannes II. epiſt.* 3. *ad quoſdam ſenat.*]

ſcribi

ſcribimus: adde hæreticos fore, qui contradixerint; aſſentimur. Quæcumque fuerit Auguſtinianæ de gratia doctrinæ, & quamlibet exaggerata laus, noſtra commendatione vincetur: dummodo iiſdem limitibus doctrinam illam, quibus eſt à cæleſtino circunſcripta, definias. a Is ex omnibus Auguſtini contra Pelagianos diſputantis operibus, capita duntaxat nouem ſeligit, quibus Diuinam auctoritatem non ex Auguſtini nomine, ſed ex ſuperiorum Romanæ Sedis Pontificum ſanctionibus arrogat. Tum eas addit voces, ad quas præpoſteræ illæ, ipſíque Auguſtino inuiſæ laudes, & maligna iniquiſſimorum laudatorum conſilia, ſic tanquã ad ſcopulum alliſa franguntur. Cætera ſcilicet neque *contemnere* ſe, neque *aſtruere* profitetur.

Tot deiecti præſidiis Aduerſarij, vnum habent quod exprobrare meritò videantur: eleuare nos Auguſtini auctoritatem, à quo doctrinæ noſtræ malè metuimus: nolle in omni Theologiæ parte iudicem quem in ea, de qua tandium litigatur, aduerſarium nouimus. Aduerſarium! eum ſcilicet cuius pridem ſententiis, atque auctoritate vnâ Ianſenium ſic,b fregimus, vt tota eius ſecta nihil inſtruere defenſionis, ac ne hiſcere quidem contrà potuerit. Non igitur arbitrum reformido, quem patronum ſum expertus: ſed periniquum mihi videtur & minimè ferendum, vt qui ab Apoſtolica Sede damnati ſunt, ad Auguſtinum prouocent, & fumantem adhuc ex recenti Eccleſiæ anathemate opinionem probari poſſe Catholicis arbitrentur, ſi Auguſtini nomen illi prætendant.a Qua in

[a *Celeſtinus in ep. ad quoſdam Galliarum Epiſc.*
b *Toto libro 3. de hæreſi Ianſeniana*]

re vt Caluinum Eccleſiæ iudicium obiectâ S. Auguſtini auctoritate illudentem Ianſeniani; ita Catholicæ doctrinæ defenſores imitamur eos, qui hanc illi laruam fucúmque detraxerũt. Poſtquam enim flagitioſus hæreſiarcha ſua de gratia & libero arbitrio dogmata, quibus S. Auguſtini nomen inſcripſerat, Concilij Tridentini fulminibus obtrita ſenſit: *a* fremere, indignari, & phrenetici in morem exclamare cœpit, per ſuum latus Auguſtinum peti: Diuinam eius doctrinam, tot Conciliorum decretis, tot Romanorum Pontificum ſanctionibus, tòt ſanctorum Patrum elogiis conſecratam, explodi, ſugillari, proſcribi: ſtare ſe tam iniuſto turpíque iudicio non poſſe; præſentem Eccleſiam ſibi iniquam eiurare; humanam rationem, cuius ſe pondere oppreſſum & impietatis conuictum norat, quaſi præſtigiatricem auerſari: Patres pæne omnes, quibus aduerſum ſe conſpirantibus reſiſtere non poterat, Pelagianæ hæreſis inſimulare: vnum ſibi Vguſtinum iudicem depoſcere, vnius arbitrio litem omnem eſſe dirimendam. Quid ad hæc Catholicæ fidei vindices? quamuis Auguſtinum cauſæ ſuæ patrocinari non dubitarent, gauderéntque adeo vocari ſe ad illud tribunal, quod ſponte erant appellaturi: non priùs tamen de Auguſtino verbum fecere, quàm inculcarent ſæpius, eum non eſſe Catholicæ veritatis regulam; proinde b *etiamſi Caluino faueret, ne-*

[a *Caluinus in Antidoto Concilii Trid. ad ſeſſ.* 6. b *Sancteſ. Epiſcop. Ebroic. in Atheiſm. Caluini fol.* 199. *Cardin. Bellarm. in præf. de libero arbitrio.*]

minem fore ſani iudicij. qui Patrem vnum aliis omnibus, & communi Chriſtianorum conſenſui præferret.

Quod ſi meritò eſt ab iis, citráque Auguſtini iniuriam factum, qui de gratia Dei & finitimis quæſtionibus diſputabant: quantò id à me vſurpari æquiùs poteſt, qui non in ea tantùm controuerſia, in qua eſt eius auctoritas maior: ſed in omni planè Theologia, cuius in parte aliqua, cum veniæ præfatione, deferendum eum eſſe nemo ſanus negauerit, principem mihi ducémque propoſui. Ita eſt (Auditores) Auguſtinum Theologiæ Ariſtotelem agnoſco: atque vt in Lyceo verſanti mihi, & de Philoſophia diſputanti magnus rerum naturalium auctor Ariſtoteles fuit: ſic in hoc Theologiæ ſacrario præcipuus mihi, ac ferme vnus rerum Diuinarum interpres Auguſtinus habebitur. Quamobrem cùm magnum opus *Auguſtini Theologiam* mecum ipſe mediter deſignémque iamdudum, & prima eius lineamenta his in ſcholis informanda videam: præmittendum neceſſariò duxi, quid ſit in Theologia S. Auguſtini auctoritati eo nomine tribuendum, quòd *Theologorum Ariſtoteles* nuncupetur.

PETRI

PETRI DE VALLONGNES
E SOCIETATE IESV
PANEGYRICVS
LVDOVICO XIV.
DICTVS.

SI quis perfectum nobis numeriſque omnibus abſolutum Regem exhibere reapſe poſſet, AVDITORES ILLVSTRISSIMI; is ad publicæ felicitatis fontem digitum intendiſſe facilè crederetur. Atque illud eſt profectò, cur ex omni hominum eloquentium memoriâ, tam multi in eo elaborarunt, illius vt ſpeciem aliquam nobis effigiémque delinearent; non ad oſtentationem ſolùm facultatis ſuæ, aſſentationémque Principum, ſed ad populorum etiam oblectationem, qui eâ ſe ſaltem imagine, cuius rem ſæpe non tenent, deludi ſuaviſſimè patiuntur. Verùm quanta fuit poſt Imperia conſtituta, fundatáſque Reſpublicas hominum paucitas, in quibus non multò plura deſiderares, ad Regiam dignitatem, quam meritò ſuſpiceres: tanta fuit oratorum certè, qui vel ex optimis hanc formam nobis imaginémque ſic

exprimerent, nihil vt ab iis veræ laudis detra-ctum, nihil falſæ commendationis affictum eſſe videretur. Etſi enim ad omnem eloquentiæ amplitudinem, ad elegantiam, ad ſplendorem argumentum illud per ſeſe factum ſit atque temperatum: fit tamen neſcio quo pacto vt ab eo vel vincatur quantalibet oratoris facultas, ſi ſe teneat intra modum; vel in ſuſpicionem veniat adulationis, ſi omnem ornandi copiam liberiùs perſequatur. Quorum alterum tametſi vereri meritò poſſem, AVDITORES, in tantâ, quantam mihi ad dicendum propoſui, argumenti dignitate; in tantâ, quantã in me eſſe ſentio, mediocritate dicendi; quia tamen alterũ non reformido, meæ in eâ re voluntati, quàm conſcientiæ obſequi malui, veſtris ſtudiis, quàm meo pudori conſulere. Enimuerò cùm annos iam plures ſolemne illud laudum tributum Ludouico Muſæ noſtræ, Oratorum ſuorum voce penſitent; quid eſt quod illud à me vel intermittatur nunc primùm, vel conquieſcat tum maximè, cùm & maioribus in nos Ludouici meritis exigitur, & vberior ſeſe ad perſoluendum ſeges, ex eius præclarè geſtis rebus effert. Præſertim cùm nouus ipſe ad id muneris accedam, cuius nomina cùm inficiari non poſſim, neque impoſitam huic quaſi fundo ſeruitutem abdicare, vtrumque ſaltem in me debeo nouâ profeſſione tranſcribere. Faciam igitur quod à me veſtro ipſi nutu efflagitatis, AVDITORES, atque in hoc aditu laudis, qui mihi nunc primùm patet, Anteceſſorum meorum veſtigiis ſic inſiſtam, vt quidquid eſt in me facultatis, id omne Ludouici

douici laudibus, præſenti veluti pignore videar obligaſſe.

Regis illius, quem modò quærimus, ſummi perfectíque imaginem, è Ludouico ſuis exprimere coloribus Oratôres non pauci, ſuis adumbrare pigmentis Poëtæ plurimi anteà contenderunt: verùm cùm ea tantùm lineamenta ſequerentur, quæ tenera erant fluxáque; etſi Regis aliquid nobis, non Regem tamen, Regiámque perſonam exhibebant. Tu, ne hominis quidem imaginem quæ in plures annos illum ac conſequentes referat, è prima teneritudine, atque ipſo veluti flore ætatis ſatis commodè elicias, & Regem tibi vel è puero ſtatim, vel ex adoleſcente continuò pingi poſſe putes, quâ in ætate, nihil dum certi ſit atque conſtituti. Sua quædam eſt, vti colligendarum frugum, ſic laudum in hominibus expectanda maturitas. Sed venit illa tandem, atque in noſtrum iſtud tempus erupit: quo Ludouicum non tam ſpe & expectatione, quàm re & maturitate Regem excellentiſſimum eſſe cùm dixero, neque me ſuperiorum temporum recordatio, neque præſentium aſpectus, neque conſequentium ſpes ipſa refutabit. Fuerint ígitur, qui notatione ſiderum, Ludouici thema ponerent, fatúmque præſagirent: fuerint qui tum fauſta Regni primordia, tum pacem Galliæ poſt tempora difficillima reſtitutam gratularentur: fuerint qui ſacræ Inaugurationis vim ſiue ad ſplendorem nominis, ſiue ad Regni gloriam longè maximam prædicarent: quod ab iis factum omnibus video, quotquot in eo me Eloquentiæ curriculo tantâ cum lau-

de anteceſſerunt. Regem illi nobis è Lucouico vel pollicebantur ad ſolatium, vel effingebant ad delicias, vel ad venerationem conſecrabant, nemo perfectum abſolútumque repræſentabat: quod ego ſi fecero, an veſtræ de me expectationi, AVDITORES, veſtriſque de Ludouico votis cumulatiſſimè ſatisfecero?

Age ergo, neque aliis iſtud, quàm quæ in omnium veſtrûm oculis conſcientiáque poſita ſunt argumentis comprobemus: ex omnibus qui regnarunt adhuc in Galliis, fuiſſe neminem, in quo ad ſummum informandum elaborandúmque Regem, Natura cum Inſtitutione, cum vtrâque Fortuna illuſtriùs conſpirarit: Floruiſſe neminem, qui vel Naturæ muneribus liberaliùs, vel Inſtitutionis diſciplinæ accuratiùs, vel Fortunæ beneficiis glorioſiùs reſponderit: nullúmque adeo extitiſſe, qui Regem nobis à Natura meliorem, ab Inſtitutione ſapientiorem, à Fortunâ illuſtriorem præbuerit aliquando. Ego enim ſic exiſtimo, ad eam ſummi perfectique Regis effigiem, quam imitare dicendo ſuſcepi, à tribus velut artificibus manum eſſe induſtriámque admouendam; à Naturâ nimirùm, quæ prima lineamenta ducat, primámque deſcriptionem; ab Inſtitutione deinde, quæ ſuis illam diſtinguat illuminétque coloribus; denique à Fortunâ, quæ non eminentiam ſolùm picturæ conciliet, ſed in bono ſciat lumine collocare. Quæ tria vobis in Ludouico Rege formando fingendóque dum demonſtro, quâ facitis adhuc attentione dicentem ſubleuate.

Atque vt inde mea proficiſcatur oratio, vnde

de hæc Regis Effigies primum duci debet: Quis neſcit, quantum iſtud ad Regem optimum conſtituendum valeat; quâ ſit ille temperatione corporis, affectionéque naturæ, vnde indoles ipſa, ingeniúmque exiſtit: cùm qui Heroas nobis adumbrandos, pingendóſque ſuſceperunt, hoc vnum vel maximè ſecuti ſint, vt rectè in iis temperata, omnia atque ad eximium quiddam conflata viderentur. Atque illius quidem rei hæc mihi cauſa ſemper eſſe viſa eſt, quòd cùm multa ſe ſe in dies Regi offerant, quæ præſentem certámque virtutem deſiderant, dubiam nutantémque poſſint labefactare vehementer; multum intereſt, à naturáne ad eam comparatus ſis, an inſtitutus ab arte; cùm quæ ſunt à natura, ea fere plus habeant firmitatis; quæ ab arte adſcita, à natura ipſa, quæ ad ingenium ſemper redit, perfacilè vincantur. Sed quàm illud vulgò confeſſum eſt omnibus, tam eſt iſtud controuerſum, plenúmque diſputationis: Ecquæ ſit illa temperatio felicior, atque ad Regiam dignitatem magis accommodata. Virum tibi bellatorem, aut exercitûs Imperatorem fortiſſimum poſtulas? è flaua illi, acrioréque bile conflabo, vt tanquam in ſicca faciliúque ad exardeſcendum materiâ, admotis gloriæ igniculis flamma ſubitò concipiatur. Vis hominem politicum, atque in dandis conſiliis, rebúſque adminiſtrandis grauum atque prudentem? è tardiore iam ac ſubnigricante conficiam; quæ in extundendis rebus ſagacem, in ponderandis ſolertem, in perducendis ad exitum conſtantem præbeat. Vis intermediæ

dię cuiuſdam interiectæque conditionis, & ad omnem vrbanitatem compoſitæ? multâ vtramque pituitâ diluam, quæ moderatum affabilémque faciat. Sed quoniam ex illis omnibus Rex conflatus eſt; vt ſit ille perfectus, hæc in eo natura debet vniuerſa colligere.

Quid perfecerit in Ludouico, medicorum eſto iudicium: ea certè quidem de ſe iam dedit ind cia, quæ morum æſtimatores prudentiſſimos minimè fallant. Neque verò ea eſt nobis via ratióque ineunda, Auditores, quæ ab iis oratoribus contrita ſæpius, qui Regum laudes verbis, gloriámque ſunt ambitioſiùs perſecuti: vt formam illi priùs animo regiarum virtutum effingerent, quam in eos deinde conferrent. Ea eſt enim, Ludouice, indolis tuæ opportunitas, felicitáſque naturæ, vt ex Te ipſo duci ſpecies illa meritò poſſit, ex Te vno Rex quiuis optimus æſtimari. Ponite ergo vobis illum ob oculos, Auditores, qualem geritis in animo. Quid? in ipſa conformatione corporis, in qua ineſt eximium quiddam, & ad ſignificandam naturæ bonitatem expreſſiſſimum, nihil eſt quod eò faciat? Cùm ineunte adhuc adoleſcentiâ in eam ſe proceritatem erigit, quis ad imperium aſſurgere? Cùm in eam ſe modò firmitatem ac neruos induit, quis ad ſuſtinendum illius pondus corroborare ſe non dicat? Iam verò ea dignitas oris, quæ in virilem ſe pulchritudinem è puerili formoſitate tam citò collegit, ad omnium amorem? Præcox illa atque ante annos accelerata grauitas, ad omnium venerationem? Ea membrorum compoſitio,

atque

atque ad omnem palæſtram habilis flexibiliſ-queſtructura, ad tractandas totius orbis habenas, cui non à natura ipſa facta eſſe videantur; Ludouicum videas, Regem ſtatim agnoſcas: qualis vel optari à ſapientibus debeat, vel fingi ſoleat à Poëtis.

Extima ſunt illa quidem, fateor, neque cum animi virtutibus dotibúſque coniuncta ſemper, quibus laus omnis Regiæ indolis continetur. Verùm vbi Regibus illa deſunt, quod nonnullis accidiſſe vidimus, quibus demum artibus apud plebem, quæ ſenſibus ferè ducitur, ea naturæ vitia vel diſſimulanda ſunt, vel corrigenda, vt amorem ab iis eblandiri poſſint, vt venerationem impetrare? At nihil eſt quod emendes in Ludouico, in quo nihil peccauit natura; nihil quod diſſimules, in quo ad ſpeciem Regis excellentiſſimi ſingula exegit. Ad ea quę interiora ſunt, quæque in receſſu quodam mentis abdita, ſed, vt ad res ſacras fieri ſolet, non ſine quadam religione adeamus, Deus immortalis! Quantus hic ſe ſe mihi Rex, quàm auguſtus explicat! Atque hinc quidem affulget illa, quam à Parentum ſanguine hauſit, exempliſque duxit, ſumma in Deum religio; inde verò, quam ab indolis naturæque bonitate duxit, moderatio animi ſingularis. Regiam his duobus mentem expreſſi, Auditores, quæ Deo pareat religioſè, quæ ſibi rectè imperet, ac dominetur; quorum alterum aptum eſt ex altero, vtrumque autem ſic Ludouici proprium; vt qui non videat, cæcus; qui diſſimulet, inuidius; qui

commemorare nimis aſſentatorium vereatur, ſit imprudens.

Qualis ea ſit ipſius in Deum diuináſque res, quàm religioſa pietas, quanta declarant? Quid de iis ſentiat exploratum habere cupis? experta eſt non ita pridem, per illius pueritiam in Gallias inuecta hæreſis, per turbas noſtras diſcordiáſque graſſata: cum ad ſacram eius Inaugurationem profligata, ad primam publicæ pacis tranquillitatem, ſic eſt ab eo compreſſa, vt niſi rebellis eſſe iam velit, penitus conticeſcat. Cultum rebus ſacris exhibitum teſtem deſideras? huius ipſius teſtis eſt Gallia omnis, cui in obeundis illis officiis verè Chriſtianiſſimum ſe probat: teſtis eſt domeſticorum conſcientia, quibus nouum illud, neque antea in Rege adoleſcente vſitatum exemplum præbet: teſtes verò iam hoſtes ipſi, qui pietatis ab eo cultum vident etiam in caſtra reuocatum. Certiora quædam argumenta poſtulas? quantâ ſit innocentiâ morum, quàm teneræ delicatæque conſcientiæ, verecundia ipſa, atque ad ſpeciem flagitij leuiſſimam inductus pudor eloquitur. Quantâ Deo religione obtemperet, habemus, quantâ ſibi moderatione imperet, videamus. Neque verò ad eam moderationem Ludouicum, vel frigidior quædam natura finxit, vel artificium ſimulationis erudiuit. Quis enim Principes illos meritò laudauerit, qui vel commoueri vehementiùs præ ſtupore neſciunt, vel commotiones omnes præ calliditate diſſimulant? Eum ego velim qui ſciat iraſci in tempore, qui ſciat iracundiam intra modum

con

continere. Sic tu comparatus es à naturá Lucouice. Cùm cauſa ſubeſt iuſtæ indignationis, non effundis illam temerè, ſed immitis ſapienter: cùm ſedari iuuat; non diſſimulanter obtegis, ſed ponis generoſè: adeo vt tam timere ſibi ab iracundia quiuis poſſit, quàm lenitati indulgentięque confidere. Quàm prudenter adhibueris vtramque, bellum ciuile reſtinctum, concordiáque publicè reſtituta declarant. Multo plus etenim eâ moderatione animi apud nos perfeciſti, quàm armis extorſiſſes: cùm non modò malorum ſenſum præteritorum, ſed futurorum etiam metum ademeris, qui in nouas ſemper turbas calamitatéſque prorumpit. Eiuſdem in omni vitæ ratione modeſtiæ exempla commemorarem (Auditores) ſi cuipiam veſtrûm nouum aliquid à me, vel inauditum poſſet afferri. An moribus illius vlla, vel è regia dignitate ſuperbia, vel è rebus proſperè geſtis ferocitas adhæreſcit, ne molles ad eum faciléſque aditus, ne humanitas in eo affabilitáſque ſingularis? Iam verò, qui fructus eſt moderationis alter ſaluberrimus, adeò nihil per inconſidarantiam Ludouicus, nihil per præcipitem animi motum fieri amat, vt omnium, quæ geruntur ab aliis rationem exigat, omnium quæ gerit ipſe, paratam ſemper habeat expeditámque rationem? ô moderationem animi incredibilem in adoleſcente! ſingularem in Rege! in victore glorioſam! ô dignum, qui in bellicoſiſſimam gentem imperium teneat: cuius fortitudinem alere fouerèque ingenitâ animi magnitudine cùm poſ-

poſſit, nimium ardorem poterit inconſultámque temeritatem, prudentiâ ſuâ ſapientiâque temperare.

Verùm ad geminam illam Regiæ indolis laudem, tertia dos quædam accedat neceſſe eſt; ex qua ſuccum veluti ac ſanguinem reliquæ ducunt, robur illud nimirùm, excelſitáſque animi labores quoſuis periculáque deſpicientis, atque ad gloriæ faſtigium per bellica facinora curſu rapidiſſimo contendentis. Et quanta ſit illa in Ludouico, quàm ardens, quàm inflammata noſtrûm quiſquam dubitabit; poſtquam turbulentiſſimas tempeſtates, quas malignitas quædam temporum excitauerat, fortitudine ſuâ, virtute, conſtantiâ, vel fregit, vel euicit; vt recto ſemper curſu iactatam reipublicæ nauim ad portum optatæ tranquillitatis propelleret: poſtquam in hoſtili ſolo tandiu atque in armis ſtetit; vt hoſtes non iam nominis, ſed virtutis etiam terrore compleret: poſtquam tandiu volitauit in acie, victorémque exercitum circumduxit; vt hoſtes quæreret, qui ad victoriam ei ſolùm deeſſe videbantur: poſtquam vrbium expugnationes, vecturas commeatuum, ſuis ipſe periculis adiuuit, ad quę tam firmum ſemper, tam incitatum animum attulit, vt ſuis de ſe metum quàm hoſtibus non minorem incuteret: poſtquam laboribus aſſiduis, excurſionibúſque bellicis, de numeroſiſſimo fortiſſimóque exercitu, ſine cæde, ſine prælio triumphauit: poſtquam nonniſi ægrè ac veluti per fraudem ab exercitu, quamquam inclinatâ iam belli gerendi tempeſtate, ad

curam

curandum corpus bellicoſus potuit Imperator auelli. O verè regiam ab omni parte indolem, in qua nihil deſideramus! ô cumulatiſſimam Gallorum felicitatem, quibus tantum hoc boni nationes reliquæ inuidere poſſint, vt ſi Regem ſibi arbitrio ſuo fingere licuiſſet; non alium certè, aut aliâ indole prædıtum fingere voluiſſent!

Hactenus à me delineata potiùs ac leuiter adumbrata, quàm omnibus ſuis perpolita coloribus Ludouici Regis effigies, Auditores: quid Inſtitutio ipſa diſciplináque addiderit, propiùs conſideremus. Eximia fuit illa quidem in Ludouico ac liberalis, præclara nobiliſque, verbo dicam, planè Regia. Hoc reliquorum omnium commune eſſe dices, qui eâ ſorte conditionéque naſcuntur: in quibus educandis, cum parentum curâ, moderatorum ſollicitudo; cum amore, diligentia; cum votis, induſtria ſæpe certat. At non is eſt Ludouicus, qui Regis tantùm ſpeciem perſonámque ſuſtineat, ad quam erudiatur ab hominibus, atque affabrè veluti fiat. Lætiori quadam indole natus eſt; quàm vt tantis ad eam præceptionibus vti debeat; illuſtriori quodam fato editus, quàm vt humanâ ſolùm arte ad eam fingi poſſit. Inſtitutionem Regiam cùm dico, non eam tantùm volo, quæ liberales artes complectatur, quibus ad omnem palæſtram corpus, ad omnes vitæ ciuilis honeſtates animus conformetur; ſed quæ iis vtrumque artibus inſtruat, quibus duci ſe populi flectíque patiantur: quæ non omnia in humana vi diſciplináque poſita ſunt.

Nihil

Nihil equidem Ludouici Inſtitutioni à parentibus, à moderatoribus nihil defuit, ne quantùm cæterorum Principum eſſe ſolet, Regia planè exiſteret. Curis ad eam laboribúſq; tuis, Reginarum optima Matrúmque fortiſſima contuliſti, quidquid exemplis fuerat pater ipſe valiturus. Virilem, ab eius morte, animum induiſti; vt illum filio repręſentares: eos illi moderatores adhibuiſti quibus regendos imperio populos fata ante commiſerunt: tamen hoc pace dicam tuâ, non vna illius Educatrix extitiſti. Adfuit ipſa, quæ Ludouicum per omnia circumduxit Prouidentia, vt ex omnibus inſtitueret, cúmque non in vmbra ſolum & palæſtra, ſed in ſole etiam ac puluere erudiuit, ne munus ipſa ſuum, quantum per te dederat, minus ornaſſe videretur. Nimirùm præclara quædam eſt regendorum populorum ſcientia: ſed quę non tam præceptionibus tradi, quàm exercitationibus debeat; non tam rerum recordatione, quàm geſtione tractationéque perdiſci; non tam viâ ac ratione, quàm vſu comparari: cuique adeo Diuina quædam Prouidentia præeſſe debet, quæ illas rerum gerendarum opportunitates afferat, rationéſque commonſtret. Illud enim vobiſcum ipſi reputate, Auditores, ſic inuenietis; ex omnibus Regibus, quos ad magna quædam poſtea profeciſſe vidimus, nullum propè fuiſſe, qui non variis ante dubiíſque rebus, aliquâ vel ætatis vel temporum ſit iniquitate conflictatus, è quibus artem illam regnandi difficillimam rerum ipſarum notatione obſeruationéque perciperet. Quæ ſi diligentiùs è

rerum

rerum geſtarum monumentis annaliúmque fide repetimus, vix alterius in ea parte inſtitutionem, vel rerum plurium veritate diſtinctam, vel maiorum admirabilitate illuſtratam reperiemus: adeo vt, ſi quâ ſit ad regnandum indole Ludouicus meminerimus, quantus ex eâ inſtitutione exiſtat, facile ſit æſtimare.

Vis earum rerum omnium quæ in ſanctioribus Regum conciliis agitari ſolent, conſultiſſimum Principem? non implicatiora aliàs ſiue cum noſtris, ſiue cum exteris, quàm per hoſce annos agitata ſunt. Vis domeſticarum veluti ſuarúmque apprimè ſcientem; qui regni vires, qui populorum ſtudia moréſque norit? virumque illum tempora noſtra edocuerunt. Vis ſcientiâ rei militaris ornatiſſimum? dic aliquod belli genus, in quo non illum ſuáue an noſtra fortuna exercuerit: dic quidpiam in vſu tractationéque belli poſitum quod eius ſcientiam fugere poſſit: Vrbes obſidione præmendę ſunt? Satanacum, Landrecium expugnauit. Obſidione liberandæ? Atrebatum feliciter expediuit. Ducendi exercitus? menſes integros in hoſtico fuit. Committenda prælia? ne in eo ſe exerceret, per hoſtem vnum ſtetit. De his omnibus deliberare iam & conſultare Ludouicus, non ex iis ſolùm poteſt, quæ commentatione priuata didicit ab aliis, ſed quæ geſſit ipſe per ſe ſe. Glorioſam equidem Inſtitutionem veréque Regiam! quæ ſic omnes illius vitæ partes occupauit, nullam vt ei, vel à laude propria vacuam vel ab vtilitate noſtra ſeiunctam abire pateretur: ſic erudiuit, vt non illum vacare

ſibi

ſibi ſolùm permitteret, ſed ſe totum nobis, quorum cauſâ Rex erat, ſtatim impendere tanto ante admoneret! Sed laborioſam omninò Regi! quem ab illis curis, ad deguſtandas delicias; ætatis ipſa mollities ſubinuitabat; ab actuoſa occupatáque vitæ ratione ad conterendum in ludis otium, conditionis indulgentia pelliciebat; ab illis excurſionibus difficillimis, ad præfruendas voluptates earundem illecebræ licentiáque retrahebant: à bellorum periculis, ac laboribus, ad ſinum tranquillitatis & pacis, ſuorum etiam vota reuocabant! Sed pæne intolerandâ Adoleſcenti, quem ad rerum ciuilium conſultationes non conficta per ſpeciem argumenta, ſed rerum pericula ſuarum acuerent; quem ad publicas præmeditationes commentationéſque, non moderatoris vox in vmbra, ſed hoſtilium tubarum tympanorúmque ſonitus in campo atque in acie conformaret! Vt non eſſet is Ludouicus, quem antea vidimus, non iis à natura dotibus, virtutibúſque inſtructus, ſatis illum vel vna hæc inſtitutio, ad ſummi atque perfecti Regis laudem gloriámque proueheret: quæ cùm acceſſerit ipſa ſolùm, naturámque perpolierit; nemini mirum videri debet, ſi tantus nobis ex ea diſciplina, támque tempeſtiuus ad regnandum id ætatis prodierit, qua ætate vix alij ſe ipſi continent, vix ab aliis ſæpe continentur. Diuinæ illud Prouidentiæ acceptum referre debes, mea Gallia, quæ moderatorum excitauit induſtriam, quæ ætatis ipſius moras anteuertit, quæ tua etiam vota ſuperauit, vt in Ludouico laus omnia quamprimùm occuparet:

paret:

paret ; neque tuis nimiò plus calamitatibus tum externis tum domeſticis iraſci, quæ eum tibi Regem finxerunt, qui iacturas abundè compenſet, qui morbis hiſce facilè medeatur.

Qui ſic à Naturâ comparatus erat Ludouicus, ſic ab inſtitutione conformatus, omnia virtuti iam ſuæ debere poterat, nihil à Fortunâ deſiderare ; ſed neſcio quo fato contigit, vt, qui eâ omnium minimè indigebat, is omnium maximè illius gratiâ beneficiiſque polleret. Sic enim conſtitutum eſt, ſic prouiſum à Deo mortalibus, quod Eloquentiæ Romanæ Parens obſeruat, vt ſummis illis hominibus, qui ad aliorum felicitatem naſcuntur, vt Reges optimos naſci compertum eſt, fuerit ſemper quædam diuinitus adiuncta Fortuna, quæ eorum addicta gloriæ, ac velut oppignerata videretur. Addixerat illa ſe primùm Ludouico naſcenti ; cùm deuictorum hoſtium vexillis cunas illus obtexit, cùm detractis ſpoliis faſcias circumpſicauit, cùm reportatis manubiis crepundia decorauit. Oppignerauerat illa ſeſe deinde puero, atque arctiori veluti fœdere obligarat ; cùm illius regni initia, tot conſignauit victoriis, tot illuſtrauit triumphis, tot miraculis conſecrauit. Verùm hæc nimis, vel Fortunæ ſuæ Ludouicus, vel aliorum fortitudini debet, vt in ſuis illa laudibus ponere velit,aut ab aliis commemorari. Ad eas rerum proſperitates veniamus, quæ ex illius iam propriâ corroboratâque virtute promanarunt. Ecquis enim, amabo vos, ſecundâ magis fauentéque Fortunâ eo vſus eſt, qui felicior ſæpè

pè extitit, quàm vel timerent hoſtes, vel expeterent ſui. Adfuit illa quidem certè omnibus Ludouici conſiliis, inſtitutiſque: tum quidquid ab hoſtibus inuentum callidè, inchoatum fortiter, pænéque affectum fuerat, diſiecit, euertit, diſturbauit: quidquid à noſtris vel labefactatum per ſimultates, vel turbatum per diſſidia, vel afflictum per factiones, compoſuit, erexit, excitauit. Magis apparent illa, magis extant in rebus huius regni proſperis, quàm vt à me pluribus illuſtrari debeant, quæ ſunt iam ab aiis toties, támque magnificè commemorata. Non dico deiectos de ſuâ ſpe expectationéque hoſtes, cùm in turbas intenti Gallicas, extremam rei noſtræ publicæ perniciem, quam moliri re ipſâ non poterant, votis ſaltem accerſerent: Prætermitto in mediis adhuc bellorum ciuilium diſſenſionúmque fluctibus fuſos, fugatóſque ad Rhetelium Hiſpanos: expugnatum Satanacum, captum Claromontium non commemoro: vrbes aliæ complures, quod ſatis animaduertitis, properantem prætereunt. Ne ſolutam quidem Atrebati obſidionem mihi ſumo, ad Ludouici felicitatem prædicandam. Quanquam videtis, AVDITORES, quantum eâ re vnicâ orationi meæ non de ſplendore ſolùm, ſed de pondere etiam detraho. Etenim ſi quanto hoſtium exercitu circumcingeretur, enumerare vellem; quàm ſuperbus mihi, quàm numeroſus Hiſpanicarum Belgicarúmque copiarum delectus eſſet oratione recenſendus: Quid ab iis Atrebatum defendit? Ludouici felicitas. Si quantis operibus munitionibúſque caſtra

Hiſpa

Hiſpani ad eam vrbem poſita ſepſiſſent, deſcriberem; quod vallum mihi, qui aggeres, quæ foſſæ, quot directis in quincuncem ſcrobium ordinibus, quot infixis per interualla ſtipitibus, quot immiſſis curribus impeditæ occurrerent! Quid ea perrupit? Ludouici felicitas. Si quantâ vi oppugnaretur arx illa Gallici Imperij, quàm arctè premeretur, commemorarem; quantus deditionis timor impenderet! Quid ab eo tam liberauit in tempore? Ludouici felicitas. Multùm præſtantiſſimorum Ducum prudentiæ fortitudiníque debemus, militum virtuti conſtantiæque multùm: verum eò res adducta erat, vt Ludouici felicitate vtrique ad tantum facinus ſuſcipiendum perficiendúmque indigerent, quo facinore Gallicum nomen, ex illâ ciuilis diſcordiæ labe, quæ multùm de eius gloriâ detriuerat, ad orbis totius famam iterum commendationémque profluxit. In ea, inquam, non excurro, AVDITORES, quæ iuris velut alieni, ab aliis antea ſunt non ſemel occupata. Exeuntis anni limitibus orationem meam circumſcribo, cui campus vnus ille relictus eſt.

Nunquam maioribus antea vel animis, vel copiis ad bellum redintegrandum hoſtes concurrerant; ſiue illos maculæ Hiſpanico nomini paulo antè impoſitæ pudor exſtimularet; ſiue felicitatis noſtræ æmulatio accenderet. Ærarium pecuniis exhauſerat Hiſpanus, vrbes militibus Belga, vicos colonis, ſocios ac fœderatos auxiliis vterque; interim dum in ipſo veluti gloriæ ſinu gremióque Gallus eius

blandi

blandimentis ſopitius ſuauiſſimè conniuet. Sed quid tanto hoſtium concurſu factum eſt, quid eo belli apparatu maximo; niſi vt plures maioris adhuc dedecoris ſui teſtes eſſent, maioris noſtræ felicitatis? Vix in campum aciémque deſcendiſti, LVDOVICE, non numeroſo illo quidem, ſed præſentiâ tuâ validiſſimo exercitu; vix hoſti Te, Maieſtatémque tuam oſtendiſti; cùm vel ſuperiorum conſcientiâ, vel futurorum metu perculſi, in vrbes ſic locáque munita conceſſerunt, vt non tam recipere ſe ipſi ſponte, quàm compelli compingíque viderentur. Fines tutari ſuos non valuerunt, in Belgij viſcera vſque victorem exercitum deportaſti: Campum tibi liberum reliquerunt; in eo impunè diúque volitaſti: victoriæ locum non reliquerunt; vaſtitatem quoquouerſus, terrorémque intuliſti: committere ſe tibi, aleámque ſubire certaminis detrectarunt; vrbes eorum in oculis muniтiſſimas cepiſti: Ne laceſſiti quidem à Te, ne ſuorum quidem cladibus clamoribúſque admoniti exire in aciem, pugnæque copiam facere auſi ſunt; ad nos hóc vno triſtis rediiſti, quòd illos dedecoris licèt ignominiæque pleniſſimos, ſaluos adhuc integróſque relinqueres. Quæ licèt ſingularem in te virtutem commendent, LVDOVICE, non idcirco minori felicitati tribui poſſunt, quæ virtutis illius terrorem tantum hoſtibus fortiſſimis iniecit.

Quid enim erat, Hiſpani? Quid erat, Belgæ, quibus conſtantiæ fortitudiníſque bellicæ laudem eripere, ſine noſtro aliquo dedecore non poſſumus, quibuſcum tandiu de glo-

tiâ decertaſtis : Quid erat, inquam, quod eo præſertim duce, quo nullum eratis aliàs pugnaciorem experti, tantum militibus noſtris, tam parum veſtris permitteretis. An noſtrorum obſiſtebat numerus? At non eramus eo multùm ſuperiores. An locorum longinquitas prohibebat? At eramus propè in conſpectu. An munitiones aggeréſque caſtrorum arcebant? At ea mouebamus tam ſæpe, vix vt aliquo loco metari, nedum munire per tempus liceret. An portenta denique prodigiáque terrebant? At nulla vidimus. Quid erat igitur, niſi incredibilis quædam Regis noſtri felicitas, cui obſtare, vel non auſi eſtis præ metu, vel præ reuerentiâ timuiſtis? Fructum interim virtutis ſuæ vberrimum cepit Ludouicus, Landrecium expugnauit. Landrecium! Non vos Galli, id nominis certos facit, deſponſæ iam Ludouico deſtinatæque felicitatis, qui oppugnandarum per ſe vrbium ab eâ initium facit, de quâ primæ belli tam diuturni in Belgio contentiones, de quâ dimicationes grauiſſimæ non ſemel extiterunt. Landrecium! Non vos, Hiſpani, tantum nomen admonet, quid ab ea vobis felicitate metuendum ſit, quæ primam inde Ludouico ad nominis immortalitatem viam aperit, vbi Caroli illius veſtri Imperatoris fortunatiſſimi hæſit felicitas, ne ſuum illud PLVS VLTRA aſſequi valuit aliquando. Quod in cauſâ ſuâ veſter ille aliàs ſcitè argutéque, vt alia pleraque, id in veſtrâ modò poteſtis vſurpare ſapienter: Fortunam muliebri eſſe, vt nomine, ſic ingenio præditam, quę iuuenes amare gaudeat, iuuenibúſque

que blandiri, ac ſuum in illos à ſenibus amorem ſponte traducat. Cui quidem ſubnectemus iſtud de noſtro: amores illos æternos fore, quia Ludouici gloria, quâ vnâ capi ſe Fortuna ſinit, nullâ temporis diuturnitate conſeneſcet.

Nimiùm in bonis lætíſque rebus commotamur, AVDITORES, in quibus ineſt ipſa per ſeſe felicitas. Id ego certus affirmo, Fortunam Ludouico non aliàs, quàm in turbulentiſſimis difficillimíſque Regni noſtri temporibus illuſtriùs adfuiſſe. Sinite me iterum ea vulnera refricare, quibus ſubſecuta tranquillitas cicatricem obduxit. Qui has Galliæ commotiones, hos æſtus populorum, has factiones Procerum, tam de nihilo excitata viderit, tam leuiter reſediſſe: vtrum plus ille mirabitur, tantùm nos in propriam felicitatem, quaſi ſi illius pœniteret, auſos fuiſſe; an tam parum aduerſus eamdem efficere potuiſſe. Nimirum maior quædam nos poteſtas in eâ rerum inclinatione ſuſtentabat; firmior quædam vis, in eâ trepidatione regebat; fatum quoddam potentius, in eâ perturbatione continebat. Ecquid illud? Regnabat Ludouicus, in quem fluctus illi atque æſtus redundaſſent. Politicos nimirum iſtud homines, rerúmque publicarum ſpeculatores venatoréſque deluſit, dum ſuis noſtra momentis ponderant; iſtud humanorum euentuum coniectores in errorem impulit, dum ſoliitis res Gallicas regulis metiuntur: iſtud hoſtes noſtros in fraudem induxit, dum ſpes ſuas ad metus noſtros dirigunt: noſmetipſos iſtud fefellit, dum nemo

mo Ludouici felicitatem ſatis æſtimat, quæ illis omnibus vna moderatur. Enimuerò, quæ metus noſtros fecerant, poſtquam reconciliatis animis patuerunt, ludicra viſa ſunt: quæ ſpes hoſtibus tantas iniecerant, poſtquam rediimus in gratiam, metus noſtros omnes in eos deſperatationémque verterunt.

Atenim hæc non ſine clade noſtra aliqua damnóq; contingere: nam quid in Gothalania nobis interim, quid in Belgio perierit, nemo neſcit. Hic te appello Ludouici felicitas, vt vel eam quæ tibi inhæſit maculam, deleas; vel quæ conflata eſt, inuidiam, depreceris. Deprecatur enimuerò facilè, Auditores, ſed quâ excuſatione: an illud ſe permiſiſſe nimirum dicet, vt ſuæ Gallos temeritatis, atque imminutæ in Regem reuerentiæ admoneret? hoc illi certè fuerant abundè promeriti: An vt hoſtibus interim tot antè calamitatibus attritis, reſpirandi tantiſper atque ab illis interquieſcendi ſpatium locumque relinqueret? Hoc illis, ſi quos nobis ſupereſſe vellemus, pernecesſarium erat quidem certè: An vt offenſionibus bellorum alternis, eâque rerum viciſſitudine ad pacem publicè componendam vtroſque adigeret? ex vtriuſque fortaſſe commodo hoc ipſum foret? Verùm aliud agebat, aliud moliebatur Ludouici felicitas, aliâ ſe via rationéque defendit. Quid enim, inquit, vel in Gothalania vobis Galli, vel in Belgio periit, quod vitio mihi criminíque verti oporteat? Quæ fuerunt ab hoſtibus recuperata per has turbas: ea neque Ludouico, Gallia, & aliis debebat Ludouicus. Felicitatis illius intererat,

tererat, in hoſtium ea manus iterum poteſtatémque concedere, vt maiore ab eo gloria reciperentur? nihîlque vel è victoriis ſupereſſet præteritis, niſi illius armis ſeruatum, vel ad eas accederet, niſi eiſdem partum; vt omnis ad eum rerum omnium laus decúſque pertineret. Quæ in perditis rebus à vobis memorantur, in Ludouici gloriam ſepoſita ſunt, nec tam veſtræ ſubducta, quàm illius deuota felicitati. In Belgio vrbs vna vobis, alteráve erepta eſt: nunc iter ad omnes Ludouici armis ſic patefactum, vt in illius poſſeſſionem tam latis excurſionibus pedem poſuiſſe videatur. Elabebatur propè Gothalania: nunc inuictiſſimi Armandi prudentiâ, fortitudine, conſtantiâ, vel veſtra fieri cupit iterum, vel eſſe perſeuerat. Cauſam illius accipitis, AVDITORES, conſilia intelligitis, Sed quid ego dicentem interpello, dum eâdem, qua nos, Ludouicum voce compellat. Age, REX MAGNE, dúmque virtutem ducem ſequeris, ne Fortunam comitem repudia. Quò te illa cum que vocauerit, non abero ipſa procul, quæque humanos etiam caſus præſtare tibi debeo, eos præſtabo facilè, in quos illa te coniiciet. Si ne currus ille quidem, in quo fluuium è ponte traiiciebas, licèt ab equo intractato & nouo nonnihil deflexus de via, atque in locum præcipitem commiſſus, prolabi potuit, quod fortunam veherer tuam; nunquam agetur ille præceps, quem tu tam ſapienter, tam pacificè moderaris. Regem in Te Natura exorſa eſt, Inſtitutio diſciplináque expoliuit, meum eſt manum extremam admouere; admouebo autem,

tem, ſi quod illa tibi regium diadema tum obtulit, cùm è Borbonio fluxit ſanguine, hæc tibi tum promerita eſt, cùm in annæ Auſtriacæ tutela ſinúque educauit, iis ego coronis cumulem, quas ex ipſius gloriæ manibus Heroes ferre ſolent: cúm aliud nullum aptius tanto operi, quantum in Rege ſummo perfectóque miramur, faſtigium imponi poſſe videatur. Nihil illa per aſſentationem locuta eſt, Rex MAXIME; Nihil ego per diſſimulationem affinxi: nihil eſt illa blandita tibi, vt nos deciperet; nihil mentita nobis, vt tibi blandiretur. Tam eximia indoles eâ felicitate digna erat, tam præclara Inſtitutio, eâ rerum gloriâ debuit iure merito cumulari.

Regem igitur in Ludouico habemus, AVDITORES, qui ſummi perfectiq; Regis numeros omnes habeat. Verùm quamti demùm exiſtimatis Regem habere? Gratulari illud vbi nationes eæ omnes non poſſunt, quæcunque ſunt ſub vnius hominis dominatu imperióque conſtitutæ, Regem enim non ſanguis ipſe efficit, quem à parentibus accepit; ſi prauis ille moribus fuerit vitiiſque corruptus: non Regiæ dignitatis inſignia, quæ Fortuna extorſit; ſi gerendorum ars ipſa diſciplináque deficiat: non poteſtas, non ius vitæ ac necis, quæ à populo impetrauit; ſi felicitas eum priuata tum deſtituat, cùm publicam facere meditatur: denique non nomen ipſum, quocunque demum illud iure obtineat; ſi Regis ſimulacrum inane fuerit, qui è Regia dignitate nihil ſibi præter delicias pompámque vſurpet, vim ipſam aliis auctoritatémque permittat.

Regem tibi, Gallia, meritò potes iuréque optimo gratulari, quæ habeas eâ naturę bonitate præditum, quâ miſerias tuas ferre nolit; eâ ratione viâque inſtitutum, quâ neſcire non poſſit; eâ denique felicitate cumulatum, quâ breui faciléque medeatur. Qualem olim optaueras, votis ampliùs à Deo efflagitare non debes, cùm vltis meliorem videas; ſpe tibi ſolum præſagitionéque polliceri non potes, cum expectatione omni maiorem obtineas: Sed illud vnum nimirum, non optare ſolùm, ſed ſperare etiam; vt hoc tantum boni, quod à Deo tibi oblatum eſt; ſpe diutius, votiſque perſeueret. Quid enim aliud à Superis precemur, LVDOVICE: qui tuis virtutibus effeciſti, nihil vt amplius optare poſſemus. Altiùs hominem euehere Fortuna non ſolet cùm Regem fecit: altiùs efferre virtus non poteſt, cùm fecit optimum. Quid igitur homines, vel illi maius optare poſſunt, quàm vt quantum Regiæ dignitati virtus, tantum virtuti fortuna reſpondeat; vel ſibi ſperare meliùs, quàm vt Regem habere eiuſmodi diutiſſimè contingat? Ea Galliæ vota ſunt, Rex maximè, quæ Te gloriâ, nos diuturnâ felicitate cumulabunt: vt quàm citò Rex eſſe cœpiſti, tam eſſe perſeueres diu, nec niſi ſatietate viuendi regnum tuum Superi metiãtur. Hoc de Te nobis eadem, quæ ſuum ipſa opus adeò maturauit Prouidentia, futurum eſſe pollicetur. Nam neque tam præclaram indolem indidiſſe tibi putanda eſt; illius vt flores ſolùm fructúſque tenerrimos oſtentaret: neq; tot exemplis rerúmq; periculis tam laborioſè

in

inſtituiſſe; vt breuem tantùm vſuram tui largiretur: neque fuiſſe tantùm exorſa felicitatis; vt non ad exitum vſque finémque perduceret: Sed opus quàm illuſtre ad gloriæ commendationem, tam ad diuturnitatem firmum ac ſtabile perficere voluiſſe.

Verùm vt in iis, à quibus initium dicendi plerique Oratores faciunt, modum nos finémque faciamus Poſt gratulationes illas acclamationéſque veriſſimas, vota iterum, cùm Ludouici ipſius, tum noſtrâ vel maximè cauſâ nuncupauimus: vt quam in eo Regis excellentiſſimi Effigiem, Rebus cæteris Deus ipſe propoſuit, eandem nobis ex eius ætatibus ſingulis liceat *exprimere. Expreſſior* erit illa in dies, multoq; illuſtrior, cùm is qui Regias in ſe virtutes complexus omnes, eorum qui ante illum fuerunt gloriam memoriámque ſuperauit, nouâ decorum acceſſione vincet ipſe ſe, poſteríſque imaginem relinquet: admiratione excipiendam potiùs, quàm vllâ imitatione exprimendam. Quamquam ne illud quidem vel Ludouico Superi, vel nobis inuidete: ſui quàm ſimillimum Filium videat aliquando, eóque diutiſſimè perfruatur; ne maius ſui deſiderium vnquam nobis, quàm ſolatium relinquat.

DIXI.

LVDOVICO XIV.

REGI CHRISTIANISSIMO

PRO GEMINO

PACIS ET CONIVGII FOEDERE

PANEGYRICVS.

Authore

PETRO DOZENNIO
Societatis IESV.

TAndem aliquando, Viri illuſtriſſimi, poſtquam Gallia diuturno bello iactata eſt; eo feliciter perfuncta quieſcere demum cœpit, & à malorum ſeu ſenſu ſeu formidine reſpirare. Annus quidem eſt, aut eo etiam amplius, cùm difficillimo recreatum è morbo Regem ſummâ omnium ordinum alacritate recepimus: at dolebamus iidem adhuc graui & periculoſa Regnum ægrotatione teneri; nec elata ſatis exultare lætitia poteramus, dum ſaluo valentiq; capite, infirmum corpus extabeſceret in dies macie doloribúſque confectum. Nunc autem

item quam populi vota Regi ſalutem exo-
rarunt, eandem populo viciſſim Regis con-
ſilia reparant; quantam Principi Regnum of-
ficioſa voluntate gratiam optauerat, tantam
Regno Princeps regali munificentia repen-
dit; qui primùm cælitus ad ſpem bonorum
certiſſimam conceſſus nobis fuerat, is deinde
eſt ad fructum pacis ſuauiſſimum reſtitutus;
& quod conceſſi pariter ac reſtituti Principis
miracula ſpoponderant, ipſe regnandi mira-
culo totum cumulatè modò repræſentat. Me-
mineramus eos Reges, quos diu quæſitos tan-
dem Imperio Deus eſſet elargitus, auctores
ſemper extitiſſe ſummæ felicitatis: quaſi tar-
ditatem in largiendo ſuam doni magnitudine
compenſaret! Quo fato donati diuinitus Lu-
douici ortum cùm recordaremur vaticiniis
ac prodigiis longè antè præmonſtratum Re-
gno fuiſſe: eius viciſſim ortu inſigne quid-
dam ad felicitatem nobis portendi confideba-
mus. At nunc conceptam fortunæ beatioris
expectationem non probat tantùm ſed longè
ſuperat euentus: nihilque iam reſtat aliud,
niſi vt quam ſpes noſtra tantò antè præuer-
tit, eam debita nunc gratiarum actio proſe-
quatur. Et quoniam ita ſunt Reges inter ac
populos partes officiorum temperatæ, vt Re-
ges de populorum fortunâ decernant, populi
de Regum exiſtimatione: noſtrum eſſet hoc
loco Regis gloriam prouehere litterarum mo-
numentis, qui noſtris tantopere commodis &
fortunæ proſpexit. Verùm cùm ipſe pro du-
plici politicæ diſciplinæ munere; & regiam
ſimul gloriam, & publicam vtilitatem ſan-

ciendo fœdere ſpectarit : vtrumque pariter ego complexus , quantum ſibi Rex conciliata pace nomen , quantam Regno felicitatem fecerit, demonſtrabo. Quod dum à me huius Academiæ nomine præſtabitur : gratulandum perinde Muſis erit , quibus quietem aſſerit Ludouicus ; & Ludouico, cui ſuam Muſæ vocem ac facultatem conſecrant : neque metuendum , ne quis vel parſimoniam in laudando noſtram , vel profuſam aſſentationem reprehendat ; quarum alteram effuſus omnium ad gratulationem plauſus compenſabit , alterius ſuſpicionem accepti beneficij magnitudo depellet.

Cum incredibili tenentur immortalitatis cupiditate mortales omnes tum Principes ipſi laudis appetentes & gloriæ præter cæteros eſſe ſolent. Nam ſiue grandiores neſcio quos illis ſpiritus affert generis claritas ; ſiue ſibi plus ad famam iuris eſſe , quàm ſuæ ſubiectis ditioni populis arbitrantur ; ſiue demum ad apicem dignitatis euecti infra ſe deſpiciunt omnia præter laudem : non modò gloriam à maioribus acceptam tueri , ſed pleniorem ad poſteros puriorémque tranſmittere omni ope conantur. At quod illi potiſſimùm nomen præ cæteris ambitioſſius affectant ; hominum ſanè , Bellatoris ac Pacifici: quippe quo tota Regis gloria militiæ domíque continetur. Rarum quidem ac difficile titulorum , propter pugnantem vtriuſque indolem, commercium : verùm ſi ſublato diſſidio coaleſcere ambo componique vnà potuerint, mutuam in ſe fortitudinis & clemen-

tiæ

tiæ lucem ex oppoſitu ſimul & coniunctione refundent. Quod ergo nobilitate conſpicuum, amplitudine auguſtum, affinitate inſolens, raritate prodigio ſimile, quódque regiarum laudum illuſtre veluti compendium eſt; hoc ſibi Ludouicus ſingulari quodam conciliatæ pacis iure vendicat, vt ſplendidis Bellatoris pariter & pacifici vocabulis decoretur. Perſecuti ſunt alij pro tempore, próque feliciori dicendi facultate copioſiùs ſuperiorum annorum victorias: & ita perſecuti ſunt, nihil vt eorum panegyricis præter æra vel marmora deeſſe videretur. Sed quis illi tamen ad Bellatoris appellationem inſigne prædicarunt? Ludouicum alacriter bellum ſuſcepiſſe? dubium eſt atque anceps laudationis genus & turbulento perinde Principi ſtrenuóque commune. Fortiter etiam acritérque feciſſe? magnum quidem illud & nobile per ſe ſe, ſed patens ad infinitos propè gentium omnium heroas. Adde, ſi lubet, geſſiſſe quoque feliciter, maius iſtud erit & nobilius quiddam: at eâ re Principem noſtrum plerique Maiorum antecedunt; qui & Regnum incolume, dum reliqua conciderent, ſuſtinuere; & Orientis quondam atque Occidentis Imperia vel occuparunt armis, vel tenuerunt. Confeciſſe verò penitus bella omnia, quod maximum ac nobiliſſimum eſt; hoc ſilere ſanè ad hanc diem, & optare tantùm victoriarum præcones debuerunt. Hoc verò nos Ludouico proprium decus ac germanam laudem pro munere noſtro gratulamur, AVDITORES; qui primùm auitæ gloriæ na-

tus heres, æmulator deinde ſolerti ſtudio factus, laborioſâ tandem exercitatione vt victor eſſet effecit. Quid enim volebat illa ætatis moras anteuertens in puero Principe ſapientia, qua nuſquam auditus eſt puerile quidquam loqui, quia nihil niſi heroïcum meditabatur? excelſam vtique naturam indicabat: quæ, ſi nobilis procreatrix virtutum accederet diſciplina, ſummum eſſet ad honoris faſtigium aliquando prouehenda. Quonam ſpectabat illa, non in vmbrâ ſed in ſole, nec in palæſtrâ, ſed in puluere, adhibita militaris exercitatio? nimirum hanc ex eo genere doctrinarum eſſe intelligebat, quarum ſumma præſtantia non tam præceptis quàm factis, non tam ratione quàm tractatione percipiatur. Hoc ſignificabat ille Regis etiam tum infantis ardor, quo ſe non aliis crepundiis quàm militaribus oblectabat, tenellus ætate, bello propè maturus: futurum ſcilicet eum aliquando Bellatorem omni ex parte perfectum, qui artis bellicæ tirocinium poneret vel in cunis. Id agebat aſſidua mediis in caſtris commoratio, in quibus Regem animo, vigilantiâ Ducem, labore militem ſe probans, aderat ipſe vt non alienâ ſed propriâ virtute triumphum promereretur; triumphum autem differebat, vt victoriam diutiùs teneret; victoriæ porro curſum perſequebatur, vt omnem prorſus exhauriret vincendi materiem. Eò denique tot hoſtium clades, quoties conferrentur ſigna, pertinebant: vt acciſis illorum viribus maturaret belli finem & reliquias omnes quantò celeriùs tantò glorioſiùs diſſiparet.

Atque

Atque vt cætera taceantur omnia, vnum, quæſo, mecum recolite decretorium videlicet æſtatis ſuperioris euentum. Grauem, vt ſcitis, ac periculoſum in morbum, dum pro more luſtraret exercitum, Ludouicus inciderat. Languebant interim exanimes penè cum eo Galli omnes; hoſtes è contrario altiùs animos in dies erigebant: nihil non metuebamus nos; nihil ij contra non ſperabant: qui ſuarum antè vrbium defenſioni ſeſe impares fatebantur, noſtrarum etiam cœperant expugnationem moliri: ſecuritatem æger aduerſariis afferebat, qui ſanus intulerat ſolus formidinem; nobíſque viciſſim cauſa formidinis vnus erat, qui fuerat antè ſecuritatis: verbo dicam, liberiùs nunquam Hiſpania validiúſque reſpirauit, quàm cùm audiret prope eſſe vt depoſitus à medicis Ludouicus expiraret. Infelix Gallia, miſeret me tui! Iam te certam ſibi prędam Iberia breui ceſſuram ſine prælio pollicetur, innixam te morienti rata pariter incumbere in ruinam: hoſtes de te vel ante victoriam triumphant; nec amici tibi tui nunc alium, quàm funeris apparatum & officium adornant. Quorſum tandem, Auditores, tanta ſpes aduerſariorum, tantus noſtrorum metus euadet? Europæ nationes omnes, quas exitus rei ſuſpenſas tenet, ſtudiiſque diſtractas, audite. Plures eo anno ciuitates & oppida ſubegimus, quàm multis priùs annis obſederamus: exanimatus penè Princeps ducibus animos ac militibus afflauit, vel decumbens è letali morbo pugnauit auſpiciis qui manibus inermis erat & imbel-

lis : imminentémque ſibi mortem in aduerſos ex improuiſo cuneos & cohortes effudit. Hiſpania vel ex eo diſce, tibi rem eſſe cum inuicto Principe, qui ſi debellari aliquando, tum certè potuiſſet, quíque dum tantam infert exhauſtis ferè viribus cladem, coniice quantam tibi firmis ac valentibus minetur! Didicit autem, AVDITORES : intellexere demum hoſtes dilabi res ſuas & in exitium ruere, quas eo Gallicarum ſtatu reparare non licuiſſet : cúmque repentè maiori è fiduciâ maius exoriri periculum ſenſere, tum verò ſapienter nullum ſibi prorſus, niſi Pacis perfugium relinqui prouiderunt Exinde Rex victor, quanquam nondum planè conualuerat, de propriâ gloriâ, déque Gallicæ rei felicitate ſecurus quieſcere molliùs cœpit : conquieſcere cum eodem Regnum iucundâ quâdam tranquillitatis proluſione : remittente Regis morbo bellum ipſum remittere : donec excuſſis & morbi & belli reliquiis iacentem dudùm Pacem ſecum Princeps Pacificus excitaret. Agite nunc, AVDITORES, quàm eximium & inſigne cenſetis iſtud eſſe ad Bellatoris nomen, qualecumque bellum penitus confeciſſe? Tantine eſt ad eam laudem gerere bellum acriter, vel etiam feliciter promouere; vt quiſquis ſi minus vtroque genere, ſaltem alterutro floruit, non illuſtrem tantùm apud æquales, ſed immortalem apud poſteros ſibi pepererit commendationem? Atqui fortiter geri bellum vix poteſt abſque ferociâ; feliciter promoueri nequit ſine fortunâ : fortitudinis & Victoriæ dignitatem

partim

rtim ſæuitiæ ſuſpicio fœdat, partim ſortis
cietas decerpit: vincere ſecundo marte ne-
o valet, niſi qui poſſit viciſſim aduerſo
:inde ſuperari. Quanti ergo fuerit eradica-
ſtirpitus bellum ab eo, qui fortis abſque fe-
ociâ, felix abſque ſorte, victor abſque aleâ;
:rociam reprimat, ſortem edomet, victoriam
ſam deuincat!

Sed quoniam confecti operis gloria ple-
umque ſolet ex eiuſdem magnitudine ac dif-
icultatibus æſtimari: quàm arduum, quám-
que difficile bellum hoc fuerit, paucis obiter
necum obſeruate. Bellum gerebatur & ita
graue, vt de ſummâ Imperiorum totius Eu-
ropæ florentiſſimorum ageretur; & ita diu-
turnum, annis vt circiter viginti quinque
non modò non conſeneſcerent inimicitiæ,
ſed in dies quaſi conſuetudine iraſcendi ma-
gis inualeſcerent. Cæterum gerebatur inter
potentiſſimos Reges, quorum alter è regno-
rum numero, alter ex amplitudine ditionis,
ac populi fortitudine potentiam metitur:
acerrimis hinc inde odiis, ſiue id naturâ gen-
tis vtriuſque contingeret, ſiue vtraque po-
tiùs perpetuâ de orbis dominatu riualitate
diſſideret: copiis numeroſiſſimis, quas exte-
ræ gentes ipſæ pro ſuo quæque ſtudio ſic
educebant, vt ſtipendiaria Regum duorum
Europa tota videretur: exercitatiſſimis iuxtà
fortiſſimiſque ducibus; vrbibus & arcibus
partim hominum partim locorum ingenio
munitiſſimis gerebatur: hoc denique partis
vtriuſque contentione, ne dicam pertinaciâ
maiori quòd vtraque ſibi pugnare iuſtitiam

arbitrata, ſuperiorem fore cauſam, quæ crederetur æquior, confidebat. Plenum opus aleæ, in quo vtram victoria partem maneret, vincenda natio eſſet propemodum inuicta! Bellum anceps nec incruentum, in quo gens vtrinque ſui prodiga dimicaret! Opus tamen adeò implicatum Ludouicus expediuit: bellum tam graue, periculoſum adeò bellum penitus eliſit. Immenſa laus, ſi confectæ rei penderetur moles; amplior auguſtiórque multò, ſi conficiendi ratio perpendatur. Quamquam ſinite me, Auditores, hanc Ludouico gloriæ partem detrahere, ne decus illius excitare videar ex hoſtium probro, & in eorum clades inſolentiùs inſultare. Tametſi enim Franco de bellicâ laude concedere vel honore non vacet, vel certè careat omni dedecore; inflictáque tanto ab hoſte clades coniunctam habeat cum calamitate honeſtatem: malim ego nihilominus pacatam amicitiæ quàm litigioſam ſimultatis altercationem recenſere. Legationem vos ipſi de pace nobilem intra mœnia veſtra vidiſtis: oblatas vitio fœderis leges audiuiſtis: conſtantiam in flagitando perpetuam non ignoratis. Hoc vnum, vt leuiter & amicè dicam, adiicio: in finibus noſtris dum Pacis negotium agitaretur, Hiſpanos omnia neceſſitudinis erga noſtros munera occupaſſe: ſic egiſſe de concordia, quaſi nullum vnquam diſſidium præceſſiſſet: nec decertaſſe tantùm de modeſtiâ, qui de gloriâ priùs contendebant; ſed viciſſe propemodum Gallicam vrbanitatem officiis: incruentam vltro nobis de ſe victoriam detuliſſe; & Germanorum, qui præiuerant, exemplo, penè ſupplices ac

præ

catiò detuliſſe. Et erit adhuc tam inuidus
rectator, qui ſolidam Bellatoris gloriam
e neget acceſſiſſe Ludouico! Eos ille attri-
hoſtes, à quibus non atteri ſibi quilibet
as excelſum ad militarem famam gratula-
ur: ſocios habere atque amicos maluit, qui
terat ſubiectos efficere aut vectigales: hoc
rò quid aliud eſt, quam de ſe pariter déque
ſtibus triumphare? Quamobrem quod cæte-
Principibus cumulus militaris laudis eſſe
let, vt ſtrenuè bellum gerant, hoc Principi
ſtro non niſi rudimentum fuit; quod pauci
nſequuntur, vt illibatâ dignitate conficiant,
oc noſter vt etiam aucta dignitate perficeret,
nquam faſtigium victoriis omnibus impo-
it. Nam cùm ad eam cumulandam laudem
es omnino, præter cæteras, dotes conſpirent,
doles, diſciplina, felicitas; quarum prima natu-
e eſt, artis altera, tertia fortunæ: indolem acce-
t à Maioribus, diſciplinam à ſe, felicitatem à
eo: & indolem ſic excoluit in gerendo bel-
diſciplina, ſic vtramque felicitas in confi-
endo commendauit: vt Bellatoris in ſe & Pa-
fici nomina raro difficilique commercio col-
geret.

Senſim ad ſe animum orationémque pel-
cit plena deliciarum Pacifici appellatio, VI-
I ILLVSTRISSIMI, & clariorem etiam
udouico ſplendorem quàm Bellatoris no-
ien adpromittit. Heroicum aliquid eſſe no-
is non abs re perſuademus, poſſe Principem,
ùm voluerit, euertere ciuitates, ſubigere
ouincias, gentes exſcindere, regna ſuis ve-
ut euellere fundamentis: ſed hæc maiora-

quc,

que,cùm poſſit , nolle , heroïco grandius ac
finitimum diuino cenſendum eſt. At ne di-
cam Pacifici quàm Bellatoris titulum eſſe
cum religionis cultu atque adeò cum nu-
minis indole coniunctiorem : nedum com-
memorem Principem aut ducibus militibúſ-
que debere bellicam laudem , aut cum iiſdem
partiri:pacificam verò & vni ſibi vindicare tan-
quam propriam,& acceptam vni ſibi totam re-
ferre:in omnium certè conſpectu conſcientiá-
que poſitum eſt , eſſe nobilius multò ſalutaris
inſtar ſideris oculos recreare,quàm præſtringe-
re inſtar fulguris;commoda portendere, quam
minitari detrimenta;clementiæ ductum ſequi,
quàm impetum iracundiæ,Regnum proprium
tueri,quàm populari alienum. Sed eſto, maior
ex illo quàm ex iſto prȩſtantia non eſfloreſcat:
inſignem ſanè ex vtriuſque ſocietate neceſſe
eſt exiſtere claritatem. Hoc autem eſt ſingula-
re Ludouici fatum è Dauidis ac Salomonis ge-
mino diſcrepantique fato coalitum: vt bellum
cùm faceret temporum neceſſitate quadam,
ſemper tamen Pacem appeteret voluntate
propenſâ;& pugnas dum ſecundo Marte com-
mitteret,ægrè quodammodo ferret ſibi cruen-
tas de hoſtibus victorias obuenire.Atque haud
ſcio an ſigna contuliſſet vnquam, niſi cenſuiſ-
ſet certum ad pacem iter ſolâ bene victoriâ
muniri. Nolim ego, Viri Illuſtriſſimi iam ob-
ductam ſuperiori vulneri cicatricem, inteſtini
videlicet belli memoriam hoc loco refricare:
hic adoleſcentis Principis,hic vnius anni labor
extitit:excelſius quiddam & operoſius virum
annóſ-

óſque plures deſiderabat. Grande fuit iſtud
ximium ſanè preter morem, domeſticos
ou:orum æſtus tam citò fuiſſe compoſi-
; & imperium ſuſtentatum in ea rerum
linatione, qua concordiæ ciuilis arcem,
olicæ ſalutis aſylum, vrbanam Baſilicam
lapſam penè doluiſtis. Excelſum in Rege
iddam erat imperare tum ſibi clementiam,
m ſæuire facilè poſſet;nec exarmare perduel-
,niſi vt victoris benignitate multò ſecuriùs
iam ſuis armis tegerentur. Pace tamen Regis
timè de ſuis hoc beneficio meriti dixerim:
ndiu deſiderabatur aliquid & ipſi ad Pacifici
udem:& nobis omnibus ad quietem;quandiu
oris iactabamur adhuc,neque dum plena intus
curitate fruebamur. Quod ergo glorioſè
udouicus informarat,glorioſiùs tandem per-
cit:quique primum ſpecimen Pacis adhuc ti-
o dederat in compeſcendis motibus inteſtinis;
pus denique abſolutum profligandis externis
ræſtantiſſimus pacandi magiſter cumulauit.
Conferte quæſo,mecum, Auditores, vtriúſque
eili molem, vt ex poſtremi grauitate maiori
loriam Pacifici Principis ampliorem cognoſ-
atis. Ac mihi quidem bellum omne, quale-
unque ſit, haud abſimile videtur incendio,
uod eam ad quam adhæreſcit materiam fœ-
lum in modum depaſcitur & abſumit : ſed
uantò funeſtius illud incendium eſt, ac dif-
icilius ad extinguendum, quod ſparſum lon-
giùs non caſam ſolùm ſuburbanam carpit,
ed vrbem integram populatur : tantò bel-
um externum per Europam ferè totam latè
def

diffuſum inteſtinâ Regni vnius peſte malignius cenſeri debet. Accedit quod Ciues, Galliq́ue præſertim, ingenitam patriæ caritatem & Regum venerationem vſque eò non poſſint ex animis extirpare, quin, vbi primus reſedit per ſeſe turbo ac deferbuit impetus, illa continuò renaſcatur: at hoſtes externi odium inſitum à naturâ ipſóque inueteratum tempore mutuis in dies iniuriis vehementiùs irritant. Sapere tandem diſcunt propriis cladibus populares; hoſtes autem acriùs etiam inde furere aſſueſcunt: externo bello cùm decus & diuitias victor è victi dedecore atque inopiâ exaggeret, eò pacem ſuperbiùs detrectat; ciuili nulla poteſt eſſe victoris gloria, victi non poteſt non eſſe calamitoſa ſtrages: denique dum foris laceratur ab hoſtibus Regnum, interiùs quoque durâ neceſſitatis lege vectigalibus exhauritur: cúmque ſint opes quaſi nerui à quibus Imperiorum continentur artus, exhauſtis opibus Imperia velut incisis neruis infringuntur. In tantâ rerum caligine lucem optabant omnes; pauci ſperabant: diſceptatum ſæpe de pace fuerat; nunquam conuentum: credulos in rebus expetitis animos toties nunciatæ pacis mendacium deluſerat, vt veritati fidem aliquandiu plerique derogarint: Pax vſque adeò difficilis & ardua res credebatur, vt excederet omnium opinionem; ſic exoptata votis omnibus flagitabatur, vt expectationem ipſam tanta penè cupiditas adimeret. Vnde ergo lux tandem inter opacas adeò tenebras affulgebit; aut quis nodum in tantâ perturbatio-

ne

iſſoluet ? Huius vnum Ludouicum faci-
s excellentia manebat, AVDITORES,
cùm bellum eo tantùm conſilio feciſſet
nnis, vt pacem faceret cum dignitate:
procul è Regni finibus ablegato, pacem
Galliam longo temporum & locorum in-
allo reuocauit.

eſtram hîc ego fidem, AVDITORES,
um arbitrium appello. Si tantum fuit
ı ſuo illum Regno tranquillitatem reſti-
e: quantum modò fuit & ſuo conſulere
al, & proſpicere alieno ? quàm nobis au-
atò domeſtica pace digniſſimum illum
niniſtrum ſeruauit, per quem externâ ſe-
ùs pace ſancitâ populares deinde aduerſa-
que ſeruaret; quanti demum eſt inito fœ-
tenaciter partis vtriuſque confiniis for-
am alligaſſe, quæ bello vaga & incon-
s vltrocitroque tranſuolabat? Agite, quæ-
ſi natus pacatis reip. temporibus otium
liæ non perturbaſſet: nemo, credo, no-
m illum à ſubiectis Imperio ſuo gentibus
gnem iniiſſe gratiam non fateretur. Nam
tuſquiſque Principum eſt, eorum præſer-
quorum robuſtior viget ætas & indoles
t generoſior, qui militare nomen veluti
mum veræ laudis caput aucupatus pa-
non faſtidiat vt deſidioſam, & ad gloriæ
men per bellicos labores ac pericula non
tendat? Videte igitur qualem ei Princi-
ſtatuere laudem debeatis, in quo vincat
licus amor populi priuatum ſtudium
ardorem belli, quíque ſaluti ſuis eſſe,
m hoſtibus terrori malit. At etiam volo
bellum

bellum ab eo motum indictúmque fuiſſe, (quod tamen cum ſcimus quaſi traditam ſibi partem aliquam hereditatis adiuiſſe:) tum verò ſi reprimere victoriarum curſum poſſet, atque ita ſibi ſecundis in rebus temperare; vt oleam lauro, pacem triumphis, honeſto bello fœdus honeſtum anteferret: cuiu modi lauream à nobis quiſque putaret illum hoc facto promereri, cuius fortitudinem hoſtium victricem moderatio ſuimet victrix exarmaret? Nunc autem & pacem non inuen t, quod felicitatis fuiſſet; ſed redintegrauit, quod virtutis: & bellum non concitauit, quod aliquâ ferocitatis ſuſpicione non vacaret; ſed compreſſit, quod carere ſingulari benignitatis laude non poteſt: è geſtis gerenda, fauſtum expeditionis exitum è progeſſu fortunato ſatis auguratus, Francis etiam victoribus receptum indixit; & hoſtes tueri pietate maluit, quàm internecione delere: in bello natus, factus ad bellum, in bello felix pacem ſpirauit: ecquæ eſt iſta, quæſo, gloria? hominiſne dicam, an Dei (ſi fas dicere) cuiuſdam, qui cùm exercituum Genius & armorum arbiter amet nuncupari, beatum tamen illud ac cæleſte Regnum ſecurâ ſemper tranquillitate moderatur?

Atenim fortè non deerunt qui factam iniquis conditionibus pacem cuipiam exprobrantes, vtpote vel ex deſidiâ vel ex infirmitate profectam, Pacifici decus non tam ex fœdere, quàm è fœderis legibus metiantur. His ego vt aſſentiar creſcere pacis honeſtatem

ex honeſtate pactionis: ita mihi viciſſim non diffitebuntur pacem quamlibet eſſe nitoſo bello præferendam: atque adeò cipem eum qui ſuorum ſanguini parcat, eratum; qui Regni parte Regni totius lumitatem pacificatur, ſapientem iure licari. Attamen eſto ſanè: non ego veenter recuſo, quin totum hoc pacis nego- è conditionibus ipſis æſtimetur. Patere lò, CARDINALIS EMINENTISSI-, leges vt illas abs te, cuius incredibili ſatiâ ſancitæ ſunt, requiramus. Vnum te ſcili- delegerat ex omnibus, cuius conſiliis ſuam mitteret gloriam Ludouicus; vnum intueur Gallia, cuius è laboribus ſibi quietem lum expetitam ſperaret. Feciſti Ludouico liæque pluſquamſatis, ei ſimilis immor- menti, quæ præfecta cœleſtium orbium uerſioni, eâdem operâ Dei gloriæ ſeruit humanis commodis laborat. Neque te ncia ſolùm, ſed Hiſpania quoque deſigna- at, cuius arbitrio contentio ſumma di- ieretur. Meminerat vtique illius ad pa- ntuæ quaſi proluſionis, cùm inſtructos cruentum certamen, iámque penè concur- ites exercitus cohibuiſti: ac tantis ex ini- s imponendum bello finem te ſequeſtro niectabat. Duorum iu Europa potentiſſi. o:um Regum exemplo cæteri Principes, orum è nutibus populi pendent, pendere iſſim tuis è nutibus ſua fata voluerunt. Ra- m quippe inter mortales miraculum, con- ns in ſummâ poteſtate concordia, vni tuæ obatæ toties inſigniter benignitati debeba-

tur.

tur. Fare ergo, quibus adſtrictam nexibus pacem, quibus amicitia conditionibus firmaſti: aut ſi tibi ſilentium modeſtia forſan indicit, pro te nobis, quæ de te iam vbique paſſim prædicat ambitiosè, fama loquatur. Loquetur enimuerò ſemper, neque de tuis vnquam miraculis conticeſcet: nunciabit exteris longéque diſſitis gentibus, Iulium Cardinalem Mazarinum propagatis vndequaque Galliæ finibus priſcam ei amplitudinem reddidiſſe? in Germaniam, Belgium, Pyrenæos intuliſſe cum Liliis Oliuam; ſociis Principibus amicitiæ præmium ampliſſimum acceſſione dominatus perſoluiſſe; obtinuiſſe demum vt in Europa nulla ſit natio, quæ Gallicam aut infeſtam non reformidet, aut non diligat fœderatam. Itaque, CARDINALIS EMINENTISSIME, Ludouici nomen & Galliæ terminos, quod bello feceras, pace protuliſti: tandiu voluiſti bellum, quandiu Regem Regnúmque decebat; tandiu fouiſti, quoad pacem, quæ deceret vtrumque, procurares. Ac licèt temperatis vtrinque fœderis legibus eædem nunc manerent vrbes ac prouinciæ quæ priùs fuerant Hiſpanicæ Gallicæque ditionis; immo de noſtris etiam pars erepta nobis nec exigua, nec ignobilis deceſſiſſet: eo tamen ſors noſtra longè beatior ac locupletior cenſeretur, quod vt pacem à nobis Hiſpania redimeret, impendit illa Regni theſaurum, Regis delicias, amores populi: atque, vt omnia verbo complectar, Mariam Tereſiam Auſtriacam, depoſitum Iberiâ totâ pretioſius oppignerauit.

Sed

ed quoniam eiuſdem mox argumenti no-
commemoratio recurret, ſuperſedeo plu-
is in præſenti, vnum duntaxat ratus eſſe
s hoc loco prætcrire: ſcilicet ad iſtas leges
eris adeò Regi Regnóque glorioſas, cùm
tes perduceret Ludouicus; tamen (quæ
ifici ſumma laus eſt) viſum eum eſſe pe-
illas precibus eblandiri: cúmque pacem
itantibus concederet, flagitanti nihilomi-
propiorem extitiſſe, quàm concedenti.
lendum Hiſpanis Belgio toto ſapientes
nes & apprimè ſcientes belli confirma-
t: ſi modò quæ nobis in perpetuum ad-
ta felicitas armorum videbatur, vel in
um duntaxat vnum ſuam nobis operam
nmodaret. Quo rerum ſtatu cùm hoſtes
expetendam pacem impelleret Ludouici
itudo, hoc ipſum ſuauiter ab eodem in-
benignitas impetrabat; niſi forte veriùs
ſibi viſus eſt coronâ & auito ſolio nobi-
, quàm vt hoſtili occupando Regno di-
ratem ambiret alienam. Nimirum ſicut
oris in quiete, ita cenſuit in pace belli fru-
m capi debere; ſe ſatis hactenus armorum
ore multa geſſiſſe, nunc humanitatem
ciliandam eſſe poteſtati; cæterùm omni
oriâ fore pulcrius ad commendationem,
ndâ pace conſequi, vel vt ſe vinci popu-
m votis ipſe pateretur, vel vt hoſtium
o vincendus armis poſthac occurreret.
eantur ergo deinceps Annibalis in Can-
ſi pugnâ voces illæ toties ad clementiæ
ntationem decantatæ, *parce ferro miles*:
ntur conſonæ Iulij Cæſaris in acie Phar-
ſalicâ

ſalicâ voces, *parce ciuibus* : obliterentur cætera ſuperbiùs conquiſita, quàm elata veriùs veterum Imperatorum effata; vel certè cum vacuis & inanibus horum dictis plena Ludouici facta componantur. Hinc effuſos intemperantiùs milites verbo tenus Annibal ab hoſtium cæde repreſſit; inde Cæſar ſuos impetu cæco præcipites retraxit in ſpeciem ab ciuium internecione : at vtriſque conſuluit reapſe Ludouicus, ac iuncto fœdere ciuibus iuxtà & hoſtibus ſtudioſè proſpexit. Quamobrem expolitum iam & omnibus abſolutum numeris Principem veneramur, AVDITORES, ad quem cohoneſtandum geminæ belli paciſque dotes mirâ conſpiratione concurrunt : Regem priuatæ quietis inſolentem, ſtudioſum publicæ, qui nec bellum extimuerit vnquam, & pacem ſemper expetierit, admiramur : eum ſuſpicimus Heroëm, qui, quod in aliis ad immortalem famam ſummum erat, in ſe non niſi mediocre iudicauit. Nam vt ſatis pleriſque Principibus alterutrum è duobus fuerit : tamen non niſi ambo temperata ſimul & ad eximium decus conflata Regi noſtro ſatis eſſe poſſunt; qui ſi priſcâ regnaſſet illa ætate, cùm Imperatores in Deos aſſentatrix ſuperſtitio tranſcribebat, duplici ſanè fuiſſet Bellatoris ac Pacifici numine conſecratus.

Quanquam ne Chriſtiana quidem religio repugnat, quominus ſpectabilem aliquam Ludouico diuinitatis imaginem tribuamus : præſertim cùm infinitam numinis beneficentiam æmulatus publicæ felicitatis adminiſter,

præ

enti nos pacis commoditate locupletet,
uturam è regio connubio proſperitatem
iceatur. Quæ duo dum alterâ huius ora-
is parte breuiter ſpectanda reſtant : eâ,
ſo, quâ feciſtis hactenus, VIRI ILLV-
RISSIMI, beneuolentiâ perorantem auſcul-
. Ac primò quidem quàm ſuaue pacis no-
, quámque ſit res ipſa ſalutaris, communis
ninum conſenſus planiſſimè declarat : quo
ab illis cœli munus, ab iſtis terrarum vo-
, ab aliis fons diuitiarum inexhauſtus,
liis bonorum omnium complexio nomi-
ır. Bellum quamlibet feliciter proſperéque
atur : quàm crebris tamen & quàm luctuo-
ebus res illæ belli ſecundæ violantur! Si-
leges inter arma; multorum inopiâ pau-
itantur; nudantur opibus parentes; liberi
eriarum fiunt & calamitatum hæredes;
s laborum finis appetitur à militibus per
tos labores; pereunt duces, quibus deeſſe
l præter immortalitatem videbatur; vi-
iis ſæpe quæritur vaſtitas, ruina, ſolitudo;
litur denique Regnum, ne perdatur. Et
elicitatem hanc arbitrere!tu feſtis ignibus
ſibúſque victorias eiuſcemodi proſequa-
! Ecquod eſt iſtud malignum felicitatis
nium, ſemper aut pati damnum, aut in-
e; ſemper vel hoſtili vel proprio ſanguine
ntari? ô fragiliter ſplendidam (vt Augu-
verbis vtar) felicitatem! ô felicitatem,
miſeris ex alienis creſcat; infelicem! Ad-
uòd, dum inter ſe bello Chriſtiani Prin-
s confligunt, funeſtiorem eſſe cladem o-
et, atque in religionis iniuriam, quiſquis
vincat,

vincat, redundare. Meminimus, cùm diſſiderent inuicem chriſtianæ gentes, tum ereptam nobis à Turcis Rhodum, Conſtantinopolim expugnatam, imperia duo ſublata, nunquam non ſuperſtitionem eſſe religionis direptione ſpoliiſque ditatam. Ex quibus, AVDITORES, pacis reſtitutæ felicitatem liquidò nobis animaduertere licebit, quam è duobus potiſſimùm efflorefcere nemo veſtrûm, opinor, mihi non aſſentietur: primùm quòd belli ſtrages & iniurias militiæ vacatione coërceat, deinde quòd eàſdem etiam non ſine fœnore locupletiſſimo compenſet. Immenſæ ſibi plerique proſperitatis loco ducunt, nihil malorum timere deinceps vel ab hoſtibus, dum æſtiuis in Regni fines incurſionibus irrumpunt; vel à noſtris etiam militibus, dum hibernis in ſinu patriæ fœdiſſimè graſſantur: iucundius tamen ac felicius haud paulo cenſeri par eſt, præteritas clades meliori fortunâ, ſecuritate timorem, lætitiâ luctum, opibus iacturas, fœcunditate vaſtitatem reparare. Ex quo Francorum gens exorta primùm eſt, perpetuis ad hanc diem exercita bellis, ferè nunquam ab armis feriata, nullo niſi ſubciſiuo tempore quaſi furtim conquieuit. Anni ſupra mille & ducentos ab Imperio Galliæ condito numerantur: ex illo bellicoſa gens pugnare ſiue ſuâ ſiue ſociorum causâ ferme non deſtitit. Nulla natio viſitur vſquam terrarum, quam collatis ſignis non deleuerit; neque percuſſum identidem fœdus eſt, niſi vt belli fieret quodammodo verſura. Cæterum non incruentis potita victoriis, & ſe gregarij ſuanguinis prodigam,
nec

c heroïci parcam exhibuit. Ægra mihi vi-
eſt ad hanc diem Gallia, quæ dies noctéſque
ſomnes voluendo in omnem partem corpore
iducebat; cui frequenter ad curationem erat
:idenda vena; & quæ bello conflictata veluti
orbo, remediis etiam, hoc eſt vectigalibus,
enuata languebat.

Nunc autem perfectæ ſanitati reſtituta &
nmæ reddita tranquillitati, non modò bre-
futuram ſibi vectigalium remiſſionem ſpe-
: ſed & gentes exteras propediem eſt ha-
ura vectigales; & ab ipſomet Rege, cui
idere tributa conſueuerat, beneficentiæ
butum quoddam collectura. Circumſpice
quoquouerſus, Gallia: vide num quam tui
tem leuiſſima nuperi motus aura perſtrin-
. Vbi bellicus apparatus? vbi caſtra noſter
rcitus hoſtiliſve locauit? vbi terror vn-
quaque & trepidatio colonorum? Ecquæ
itas aut propugnaculum vſpiam obſidetur?
tentorium vel vnum aut piraticum naui-
lum appaset? adcóne citò belli reliquias
nes primus Pacis nuncius abſterſit, vt quæ
ıritas vix ad Imperij ſinum patebat, mo-
vltra Regni fines latiſſimè protendatur?
liquias autem abſterſit! fallor: ſed quæ-
que ſuperiori commotionis ad memo-
ń adhuc ſuperſunt, eæ quietis iucundita-
adiuuant: præſentíſque boni delectatio
teriti mali ſuauiſſimâ recordatione con-
ır. Nunc tandem *iuuat ad vſum ſecundo-
per aduerſa veniſſe*: nunc ad portum ap-
i naufragiorum, ſecuri periculorum me-
imus cum voluptale: nunc annorum

complurium mæſtitiam, abunde paucorum dierum lætitiâ conſolamur: nunc otij ſuauitatem deſuetudo ipſa non mediocriter commendat: nunc pacis firmitatem ominamur è belli diuturnitate, conceſſique diuinitus muneris pretium ex ipsâ tarditate metimur. Quæ dum Galli vel ſecum ipſi cogitando, vel cum aliis colloquendo reputant, nemo omnium eſt quin ſe primo ſtatim auræ pacificæ afflatu exhilaratum fateatur. Beatos ij ſe prædicant qui ſuos ex aleâ Martis incolumes excipiunt; neque ſe beatos inficiantur illi qui ſuorũ ſanguine pacem popularibus redemerunt: felices eos arbitrantur, quos ſuperioris expertes calamitatis ad quietam tẽporum conditionem melior naſcendi fortuna reſeruabat: felices qui præteritæ calamitatis acerbitate felicitatis hodiernæ ſenſum acuunt & amœnitatem: beatam denique Galliam cuius alumni partim honeſtam cum laude pro patriâ mortem oppetierint, partim vitam ſint deinceps fortunatam in pace atque otio traducturi.

Iamuerò ſi tantum eſt in eo felicitatis, quòd pax liberâ quâdam & otiosâ ceſſatione belli clades iniuriáſque reprimat: quàm erit ad eiuſdem commendationem inſigne, quod etiam aduerſa proſperis affatim & copiosè reſarciat? Illius porro felicitatis cùm iam præmaturos in præſens fructus ſibi quiſque noſtrûm delibare videtur; tum vberiores in poſterum delicias nemo non iucundâ præſenſione prægustat. Quid enim ille ſibi volebat vehemens & inflammatus ardor, quo pacem veluti votorum ſummam enixè omnes & vniuersè precabâtur? ſcilicet in populari voluntatum conſpiratione fatidicũ quiddã eſt,

eſt:quo magnam ex ardentibus, & communem è communibus omnium votis felicitatem liceat præſagire.Quid iſta verò publica loquitur hilaritas? Quid exundans in veſtros vultus lætitia tanta portendit?Quid menſæ,plauſus, ignes feſti,ſacræ ſupplicationes indicant? nimirum vt priuata ſingulos ſua ſpes aliquando fruſtretur; vix vnquam tamen euenit, vt publica fefellerit vniuerſos:& ex imminenti bono ſpes læta ſolet ſic tanquam è ſole prænius diluculi ſplendor effluere,quo lucis mox affuturæ ſerenitas præfulgeat.Reddita tandem eſt ſibimet Gallia,propriæque permiſſa fœcunditati; ferax per ſeſe bonorum regio genus omne diuitiarum largiſſimè profundet: reſtitutum iam libero commeatu hinc inde commercium exercetur; ſuas lla peregrinis hominibus ad neceſſitatem opes ranſmittet, ac peregrinis viciſſim opibus ad cultum & oblectationem abundabit: denique ugis & æternæ cælitum felicitatis, quæ pace erenni componitur,vmbram in terris, ac fluxā icèt, ſinceram tamen nobis imaginem obiiciet. n quo certé, REX AVGVSTISSIME, cùm plurima unt eadémque maxima,quibus optimè de noois merearis:tum nihil nobilius eſt,quàm quod emet ſaluum excuſsâ formidine noſtrâ reddidiſti. Obiicere quot annis regale caput, noram vt ſecuritatem aſſereres,bellorum pericus ſolebas:nec poteramus non vehementer treidare,cùm te ſciremus vnâ tuâ fortitudine ſeurum nihil detrectare quo milites fierent vel egio diſcrimine fortiores.At nunc metuere tii nobíſquedeſiimus, vbi primùm incolumē & rnatiorem vidimus eum, quo noſtra omnium

ſalus continetur. Vnum tamen tecum non ſine reuerétiâ quereremur,tui ſcilicet reditus tarditatem, niſi perſpectum nobis eſſet voluiſſe te ſuſpenſas mentes quàm longâ tam ſuaui expectatione recreare,ac præ modeſtiâ tibimet tua præmittere beneficia cùm ſua ſoleant ceteri Reges oſtentare ſuperbiùs, & è conſpectu ſuo ſibi plauſum captare. Vt vt ſit,ſolum hoc certè ad felicitatem deeſſe poterat, vt felicitatis autorem ipſum oculis cerneremus. Quòd ſi tuæ nos abſentiæ magnum ex amore deſiderium angebat, illud reditus modò maior lætitia,deterſit: & iam antè non mediocri ſolatio lenieras,cùm ereptus fortunæ,nobiſque per te reſtitutus regiæ ſtirpis princeps tibi præiuit. Lugebamus tum recentem adhuc vnius iacturam; duos illico ſuffeciſti: quorum alter ſecum amorem populi, heroum exemplar,belli fulmen,pacis fructum pretioſiſſimum referret,alter concepta paternarum laudum ſemina,ſpéſque non incertas oſtenderet. Suum ergo per te regia ſtirps plenum robur; ſuum illa decus integrum recuperauit:neque pars vlla iam felicitatis eſt, quam inde Gallia vel non teneat, vel non ſperet.

Nam quid hîc ego meminerim litterarum, quæ cùm ſint actuoſæ cuiuſdam & occupatæ quietis amantes:nunquam maiores quàm in ſinu pacis progreſſus efficiunt? Quid hîc ego religionis decus,quod Chriſtianiſſima gens ponit in primariâ felicitate commemorem? Fatale videtur eſſe bellis, vt quemadmodum nebuloſo turbidóque cælo peſtilentia, ſic turbato reipublicæ ſtatu hæretica peſtis innaſcatur, quæ reli-

gionem

ionem attingat Pacis igitur contrarium eſſe
rum conditióque debet:vt luem renouatâ ſa-
britate detergat, & plenam religioni reddat
tegritatem. Tandem aliquando futurum eſt,
breui.niſi vana me fallunt auguria,futurum,
m pacificus Princeps, qui pace domeſticâ
uam priùs de religione controuerſiam com-
ſcuit; externa deinde pace veterem etiam
ntentionem profliget:atque adeò Galli con-
nctis omnes obſequiis Chriſto deinceps ac
douico ſincerè famulentur.
ntelligitis,opinor, AVDITORES, vniuerſa
cis commoda capite ſummatim duplici cō-
hendi;altero,quod præteritorum nos malo-
m acerbâ recordatione; præſentium ſenſu,
tu futurorum liberet;altero, quod præteri-
um bonorum dulci memoriâ, præſentium
,ſpe futurorum, ac præſenſione reficiat.
id ergo reſtat,aut quid iam poteſt ad plenā
lia felicitatem deſiderare? Perennitatem,
nor,vnam.Quid enim aliud huic pacis vtili-
deſit, quæ rempublicam iuxtà & religio-
opibus efficiat auctiores; quæ terram fœ-
det, mare componat, cælum vt ſic dicam;
met? Nec illam verò fœderis perpetuita-
Gallia conſtantiámque requitet, Audito-
Ind iſſolubilis quippe obligatus nobis eſt
s nexus, immortalis traditus obſes amici-
deſponſum indiuiduæ pignus affinitatis: vt
nato vtrinque ſanguine, regiâ coniugij fi-
ſacro religionis myſterio firmata pax co-
at:atque adeò *funiculo triplici* animorum
ricta neceſſitudo non ſiñe parricidio quo-
ac ſacrilegio *rumpatur.* Quonam ſpectet

hæc oratio mea, vos ipſi, credo, cogitatione præcipitis. Ad regales vtiq; nuptias mẽtes omnium oculique reſpectant, & ad Mariam illam Tereſiam auitâ dignitate conſpicuam, ac deſtinatâ futuram coronâ clariorem ſe conuertunt: cuius cùm nondum liceret vultum ipſum intueri, ſaltem illius circumlatâ per prouincias imagine ſe in anteceſſum quiſque paſcebat. Non alia ſanè Regi coniux, non alia Regno deſignari moderatrix debuerat: quia nec Regi ſimilior vſquam, nec Regno potuit vtilior inueniri. Nonnullis interdum Regibus probro fuit vxor, multiſque ſæpè Regnis exitio Regina: hæc & certam ſponſo gloriam, nec dubiam populis eſt ſalutem allatura. Duxit coniugem Ludouicus Helenæ ſupparem formâ, fato planè diuerſam, Helenam quippe ſcimus cauſam belli peſtiſque. Tereſiam pacis conciliatricem extitiſſe. In quo dubium fortè cuipiam occurrat victorémne illum, an victum potiùs arbitretur. Vtrumque certè. Vicit armis, illecebris victus eſt: ita victum eſſe perinde illi eſt ac viciſſe glorioſum, cùm ſit hoc heroum maximè propriũ, vincere forti animo, vinci honeſto amore. Nobis autem quid liceat, Auditores, aut quid non liceat potiùs in futurum ex eo connubio ſperàre boni, haud dubiis mihi videor poſſe argumentis prouidere. Si quis ergo quærit quales è Ludouici coniuge partus, ſit Galliæ fas ad publicam felicitatem polliceri, augurari poterit è Ludouici parente: cui cùm tantum quantus eſt Ludouicus ipſe, Principem debeamus; neque maius optare quidquam ex coniuge, neque minus par eſt expectare Ad eiuſdem quoque ſpei

ſit

rmamentum Ludouicus alter accedit, is qui
uperorum faſtis adſcriptus eſt,è Blancæ cum
udouico octauo,Hiſpanæ cum Gallo nuptiis
rocreatus. Neque verò ſine fato quodam di-
inóque conſilio contigiſſe ſapientes conie-
ant; vt Blanca, Anna,Maria tribus Ludouicis
onnubio iungerentur. Denique ſpem eandem
it coniugis vtriuſque virtus ac maieſtas:quos
tus contracta Galliam inter & Hiſpaniam
onſimilis affinitas profudit. Numeroſam ſibi
alli ex illo coniugio prolem apprecantur:
ui ſi vel vnam tamen,præſertim virilem im-
etrent ac ſimilem genitori, abunde ſibi con-
ltum exiſtimabunt. Serum illum quidem pa-
ntis ſucceſſorem expetunt, ſed eum qui con-
itutam à patre felicitatem conſeruet:vt per ſe
nitor optimè de æqualibus,pérque filium de
ſteris mereatur. Quo fiet vt non ſucceſſo-
modò ſit, ſed Regni & populi totius pa-
ns,huiúſque nominis gloriam Ludouico duo-
cimo iure potiori Ludouicus noſter præri-
t: per quem nunc conſequitur Gallia me-
s vt ad nouam & beatam viuendi formam
aſcatur.

Hæc Auditores,tot ac tanta cùm in nos pa-
icus Princeps regia liberalitate promerita
ntulerit,quæ veluti ſemina maiorum vberio-
n etiam ſint aliquando ſegetem allatura:
s credat illum profiteri palam ea ſe debuiſſe
ois:& beneficium,quo nullum inſignius eſt,
us officij loco numerare?ea tamen eſt Regis
tri beneficentiſſima indoles, vt in compa-
da cæteris felicitate, felicitatem ipſe ſuam
ſtituat.ea modeſtia planè ſingularis, vt ſolâ

meritorum conſciĕntiâ fretus , factorum non aliud eſſe præmium velit, quâm feciſſe. Meliùs nunquam capere ſe putat laborum fructus, quàm cùm aliis impertit: ac licèt cum regno felicitatem gloriamque conſociet, ſuæ nihilo ſecius gloriæ nuntium libentiùs, quàm Regni felicitati, remitteret. Quin etiam militatem gloriam: cùm ei ſe obtruderet vel inuito repudiauit: ſed puriorem eſt ex heroïca quiete, quàm è caſtrenſi labore vberiorémque ſortitus. Regnare ſe nunc arbitratur, cùm pacem in Regnum ac proſperitatem reduxit: & regnat certè, qui hoc facto Regis optimi totum abundè munus & partes omnes feliciter expleuit. At nos tanti beneficij memores eò plus referre laudis & gloriæ Regi munificentiſſimo par eſt, quò ſibi minus ille vult à nobis gratiarum reponi. Certare cum regali modeſtiâ popularis gratia debet: felix glorioſumque certamen, ſiue hæc, ſiue illa ſuperarit. Vincet autem ſemper, Ludouice; beneficentia modeſtiáque tua, noſtram quantamcumque referendæ gratiæ voluntatem: ſemper minus erit quod rependemus, quàm quod debemus; neque tibi referre quidquam poterimus, quod in nos ipſe non refundas. Nam ſi tibi ſalutem in annos plurimos apprecamur, vtilitati noſtræ conſulimus: ſi prolem tui ſimilem, poſteritati prouidemus: ſi tibi & proli gloriam immortalem, Regni famam commendationémque ſectamur. Ita dum ſtudemus tibi, nobis ipſis ſtudemus; nec te beneficium noſtri amatorem fas nobis eſt niſi noſtri cauſâ redamare. Et tamen iſtis ſe continere finibus vis il-

rua benemerendi voluntáſque non poteſt,
iin ex his potiùs initiis longè latéque pro-
iat ad Chriſtiani totius orbis vtilitatem.
uum agnoſce pacificatorem, Europa: Gentes
teræ, túque adeò Chriſtiana Gens Ludouici
lium veluti pacis aram venerare. Pax iſta Gal-
e decus, Hiſpaniæ præſidium, fauſtum tibi fu-
ræ quietis augurium exoritur. Vide quibus
perfectam Pacifici laudem gradatim incre-
entis Rex Chriſtianiſſimus aſſurgat. Pacem
e primùm Gallis curauit ſpeciatim; ſuis dein-
coniunctim & hoſtibus; poſtremò genera-
n orbi Chriſtiano toti curabit: vt felicitatis ad
os præſens fructus, ad alios iucunda ſpes, læ-
ia pertineat ad vniuerſos.

LVDOVICO XIV.
REGI
CHRISTIANISSIMO
PRO SVSCEPTA PER SE REGNI ADMINISTRATIONE
PANEGYRICVS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Auctore

PETRO DOZENNIO
È SOCIETATE IESV.

QVONAM ſeu fato Galliæ, ſeu Dei potiùs conſilio fieri putemus, Illuſtriſſimi Eccleſiæ Principes; vt cùm ſupremum felicitatis apicem inſigni Ludouici beneficio attigiſſe videremur, ſublato repente ex animis tēporis præteriti ſenſu, ſpes vna futuri ſuauiſſima mentes vniuerſas occuparet? Recordamur ipſi quidem, nec ſine gratulatione recordamur ſuperiores proſperitate

: pleniſſimos ætatis gradus;cùm primùm cæ-
i munere donatus,naſcendi miraculo ſingu-
em nobis felicitatem deſpondit : cùm tener
uc in cunabulis multiplici clade hoſtium
larauit virilem eſſe iis præſertim regibus in-
tiam,quos diuina quædam vis genuiſſet:cùm
ineunte adoleſcentia domeſticos bellorum
tus alienis odiis cōcitatos propriis ipſemet
piciis planè ſedauit : denique cùm in primo
entutis flore ſummam licèt Dei de ſe fidem
promiſſionem laureata & triumphali pace
npoſita liberauit. Sunt & nobis frequentes
manibus panegyrici , quibus naſcentis quaſi
iinitatem alij , nonnulli pueri victorias, alij
umphos adoleſcentis,quidam vel inaugurati
ſteria vel pacifici trophæa celebrarunt:ſunt
am in oculis ea quotidie , quibus non ſolùm
enilis ætatis vincit alacritatem, ſed & ſenilis
turitatem anteuertit:denique Ludouicum
rtè profitemur bellum feciſſe geminum non
laude, pacem geminam cum dignitate ma-
i coniunctam ; nullam proinde vitæ partem
à decoribus , nullum nobis annum à feſtis
olicæ lætitiæ ſignificationibus vacaſſe.
Quid igitur eſſe cauſæ poteſt,cur perinde ac
euia forent ea quæ maxima ſunt,à iucundiſ-
io rerum geſtarum fructu ad ſpem vnicam
endarum ſtudia noſtra reuocentur ? Sed ni-
rum hæc eſt heroum indoles atque virtus,
ditores, vt quò maiora perfecerint, eò de ſe
biliora polliceantur : hæc Ludouici benefi-
ntia ſingularis , vt & præteritorum expungi
moriam velit, & futurorum duntaxat expe-
tionem commoueri ; hæc admirabilis regis

Adeodati modeſtia, vt qui iam propè ſupremū laudis faſtigium tenet, ſponte tamen ad primordia gloriæ ſe reflectat. Ita nempe natus eſt quiſquis eſt ſibi conſcius originis diuinæ, vt ad illam vnius Dei propriam infinitatem nouis in dies progreſſionibus aſpiret: ita poteſtas regia præſertim & magnifica conſueuit, vt nullos patiatur præſcribi ſibi terminos, dúmque ſe veluti probat quotidiano vſu, quid poſſit deinceps præſtantius experiatur: ita demum fortiſſimus quiſque ſiue laudis præcepto guſtu, ſeu quodam vituperationis metu ſtimulatur, nuſquam vt figere pedem ſibi putet licere; ne vel vmbrâ deſidiæ fœdari ſe ferat, vel æmuli forſan alicuius ardore ſuperari.

Tacete igitur ſuperiorum temporum laudatores; literarum monumenta, hiſtoriarum annales, trophæa bellorum, pacis inſignia cedite: aliò nos Ludouicus inuitat, aliò cogitationes noſtras voluntatéſque conuertit; ſoli planè ſimilis, qui diei ſemper vniuſcuiuſque lucem noctis caligine reſtinguens, quotidie nouus exoritur ad ſplendorem; nec abſimilis feraciſſimo ſolo, quod frugibus vbertim è ſinu ſuo profuſis ſic tanquā ſeminibus ad locupletiorem deinde ſegetem fœcundatur. Quamobrem, Auditores, cùm illuſtre quaſi ſignum nobis Rex Chriſtianiſſimus ad optimè de toto regno ſperandum omni anteactæ vitæ fructu ſuſtulerit: mearum id eſſe partium exiſtimaui, vt conceptæ ſpei magnitudinem primùm, deinde ſecuritatem hodierna gratulatione demonſtrarem. In quo tamen ſi minùs oratio mea veſtræ fortaſſis expectationi reſpondebit; tantò certè clariùs illa duo excel-

lentiſſimæ

lentiſſimæ ſpei decora, tantóque ſplendidiùs effulgebunt.

Hoc igitur primùm, Auditores, contendo, præſtantius boni genus nullum eſſe, quàm quod prælibamus in præſenti, ac deinceps fruendum copioſiùs de regis inſigni munificentiâ ſperamus. Ecquid autem illud ſit & quantum ſi nondum ſatis liquidò conſtat: ſinite me modò, huc vniuerſos Regni ordines velut ad comitia quædam conuocare; quorum ſuffragiis atque vnanimi conſenſione optatiſſima prægustatæ ſortis conditio non obſcurè patebit. Agite ergo venerandi ſacrorum Antiſtites, vóſque adeò nobiles ex ordine clariſſimo delecti; integerrimi rei forenſis reique vrbanæ magiſtratus; ſummi, mediocres, infimi, ecquo potiſſimùm genere boni maximam regni felicitatem definitis? Ipſa, credo, ſatis, Auditores, habendorum comitiorum cauſa demonſtrat, ad optimam regni totius adminiſtrationem ſingulorum ſententias atque vota communiter conſpirare, At vnde metiri præſertim ſummam illam optimæ adminiſtrationis vtilitatem licebit? è finis, opinor, quò tota refertur commoditate ſingulari. Quonam autem illa demùm ſpectat, quemve ad finem tota refertur? ad excellentiſſimam ſanè rei communis ac publici boni rationem. Qualem porro ideam publici boni præſtantiſſimam informatis; eam ſcilicet qua depelluntur omnia mala, cuius veluti gremio bona omnia continentur, quæ ad omnes vndequaquauerſum promiſcuè dimanat. Bene eſt, Auditores, & apertiùs quidem, quàm vt à me debeat pluribus hoc loco diſputari: ſed

cùm

cùm ſaluberrima rerũ adminiſtratio tria hæc ita præſtent,vt eam bonorum omnium caput, atque adeò votorum ſummã eſſe nemo diffiteatur : finitimus eſt is locus ad quem oratio mea feſtinat, vt illam rerum adminiſtrationẽ ſalutarem præ cæteris eſſe intelligamus;quam rex ipſe , ſi modò fuerit optimus,per ſeſe capeſſit & exercet.

Nam vt vnde felicitas omnis profluit,inde prima felicitatis huius ratio deducatur;cuinã ea res magis fauſtè feliciter proſperéq; poteſt euenire,quàm cui Deus vberiori fauore opitulatur?Diuinũ quiddam eſt regiæ dignitatis apex;regni proinde curationem diuinum pariter opus eſſe oportet,atque ad homines regendos humanâ maiorem ſapiẽtiam adhiberi. Nec enim dedignatur Deus in ſuæ quodammodo diuinitatis communionem reges adſciſcere,neque cum iiſdem deſcendere in partem officij atque curarum. Illos ego perinde contemplor atque ſacra Dei præpotentis inſtrumenta,quibus ita motum videlicet imprimit, vt in ſuo rite munere fungendo vnius fermé numinis ductum ſequantur. Neque diſſimiles eoſdem radiis puto cælitus in terras è ſole defluẽtibus;quos luce ſuâ ſic fouet, ſibiq;cõiunctos iugiter accendit,totam vt ab eo fõte claritatem hauriant.Interpretes mihi quoque diuinę mentis & internuntij videntur eſſe ; per quos agere nobiſcum ſolita ſit ſuáque nobis edicta denuntiare. Hos etiam,ſi lubet,ſpectãdos ego crediderim vt numinis legatos;quos & eſſe ſuo loco velit apud homines,ſeq; viciſſim eorum loco ſpectari. Deniq; ſic tanquã

ſpi

pirantes diuinitatis imagines veneror, quorū
n animis externáque corporis cōformatione
uguſtiorem humanā ſpecie characterem inſ-
ulpit. Ex quibus ipſe mecum ſoleo nonnun-
quam in hunc modum ratiocinari. Age ſanè,
ndenam inſtrumento motus, radio ſplendor,
nterpreti fides, auctoritas legato, imagini
decus, mortali diuinitas quodammodo conci-
iatur: Quid? Dexteram illam Deus inuictam
& præpotentem regibus accommodat: quid
ſſe tam arduū támque operoſum poteſt quod
nſigniter non euincant? ſuam in eorū animos
ucem & ſplendorem infundit: quæ tam ſpiſſa
erum vel temporum caligo quā penitus non
diſpellāt; ſuas regum ore voces & oracula no-
is effundit: quis fidem derogare audeat? ſuam
is autoritatem committit: quis obſequium
re detrectet? verbo dicam, diuinitatis ipſe ſuę
uram iis aliquam afflat, & delibatam quaſi
articulam impertit: tantis auſpiciis tantóque
ræſidio quid metuere calamitatis poſſumus,
uid proſperitatis non ſperare?

Teſtes hoc loco producere cùm alios reges
ceret, tum Salomonem imprimis; cui ſuam
iuina mens ſapientiam in regni ſociam & ad-
niniſtram adiunxit. Sed omnium inſtar teſtem
Galliæ regibus, oleo cæleſti ad bene felici-
érq; regnandum conſecratis, teſtem, inquam,
ræter cæteros Ludouicum affero; qui dū ha-
enas imperij moderatur, flexibilē ſe viciſſim
Deo præbet, & ad omnes nutus obſequentē:
t cōceſſus Galliæ diuinitus, diuinitus admo-
us imperio, diuinitus quoque dominetur. Vos
utem, Auditores, ex adſcititiis adminiſtris

pro

producite mihi vel vnum qui regibus illam diuinæ opis prærogatiuam adimere audeat, vel eius etiam ex æquo ſocietatem affectare? Nam quo iure tantum arrogare ſibi cæleſtis auxilij non dubitent? quo titulo ſibi gerendæ reipublicæ inde præſidium affore confidant, vnde regnandi munus & authoritatē non acceperunt? Eſto ſanè mentis humanæ prudentia longè regibus atque ingenio antecellant: at beatis illis è mentibus multò ſuperiorem vnam regum tutelæ, quàm cuiuſcunque priuati curæ deſtinatam fatebuntur. Delegatam ſibi vicario nomine regiam authoritatem gratulentur; effuſâ certè numinis ope, gloriari nemo poteſt, niſi cui ſuam Deus ipſe authoritatem delegarit. Intelligant igitur, hoc inter ſe regéſque diſcriminis intercedere, quòd poteſtatem habeant à regibus, reges à Deo demandatam: idque ſibi proinde perſuadeant, ſicut ſidera quò propiora ſoli ſunt, eò plus luminis ab illo excipiunt, ita Deum in Reges diuinitati quippe propiùs admotos ampliorem claritatem transfundere: poteſtatem cum regibus & neceſſarias obeundæ poteſtati dotes velut effuſè communicare, quæ parciùs ad ſubiectos deinde ſtillent adminiſtros, & quaſi depluant minutatim; atque adeò quicquid pertinet ad regum ſeu gloriam ſeu probrum ſua putare Deum intereſſe vehementer, & in ſe propemodum velut in autorem reflecti.

Verùm ne diuino cuncta ponderemus momento, ſed humanis aliquid ſenſibus æſtimemus: quoniam geminus eſt Regum aſpectus, alter quo Deum vt vicarij, alter quo populum

ſpiciunt vt parẽtes;non iam amplius è prio-
regiæ gubernationis vtilitatem, ſed è poſte-
iori quoque perpendamus. Quæritis Audi-
ores, quid rei ſit, cur è Regis quàm è cuiuſ-
bet alius adminiſtratione reſp. longè capiat
mplius emolumenti? Parentis amantiſſimi fi-
um ſedulò totum ac diligenter explorate:re-
is optimi animum, ſtudia, curas & caritatem
cũque cognoſcetis. Cernitis vt liberos pater
oculis ferat aſſiduè,horum ſeruiat incolumi-
ti,gloriæ ſtudeat, voluptati laboret? vt nihil
onorum non velit eorum cauſâ, nihil ærum-
arum fugiat ac detrectet?adeò vt ſumma quæ-
am ſit amorum omnium parentis amor, cæte-
ique plena pietatis nomina paternum nomen
nico vocabulo repræſentet Atqui hæc ipſa
nnia paternæ voluntatis, Galliæ reges erga
opulos obeunt; eóque obeunt impenſiùs,
uòd cùm priuati homines aut naturâ paren-
s aut adoptione fiant; reges noſtri gemino
mul ortus & amoris nomine patriæ patres
fecti duplicatam animo caritatem conci-
ant.

Ex quo ſe vidit adoptatum à Deo in regem
udouicus,commendatos tutelæ ſuæ populos
loptãdos ſibi pariter iudicauit;ſéque non tam
btinuiſſe ius in alios, quàm alieni iuris eſſe
ctũ Ex quo ſolẽni ritu inauguratus eſt,inue-
um ſolio ſublimen ſe putauit, vnde tanquam
ſpeculâ ſaluti publicæ inuigilaret; indutum
urpurâ, qua ſubiectas ditioni prouincias te-
eret;ſceptro donatum, quo temperaret;arma-
m gladio, quo tueretur; ornatum coronâ,
uæ paternis curis grauiùs quàm gemmis re-
gium

gium caput oneraret;oleo ſe demum & cæleſti quidem ſenſit,inũctum,cuius vis mira permearet intimum pectus,ac diuina quadam erga populos benignitate deliniret. Ex quo per ætatem licuit regni ſuſcipere clauum,ac per ſeſe adminiſtrationem obire;nihil ſpectauit aliud, quàm quibus poſſet artibus depellere quicquid infeſtum eſt,accerſere quicquid expetendum, fortunatiorem in dies nobis fortunam comparare.

Nihil igitur non ſperandum , Auditores, de Ludouici lenitate , cuius etiam, vt potè patris,erit amabilis & benefica ſeueritas. Populi pater eſt Ludouicus;qui iuſtitiæ vim acerbiorem nunquam exerat ſine commiſerationis ſenſu,nihil pœnarum niſi paterno affectu cuiquam infligat ; contrà verò ſui muneris eſſe putet ita liberorũ malis ac vulneribus mederi, vt publicum elici ſanguinẽ ſanitatis vnius publicæ cauſâ patiatur. Patriæ pater eſt Ludouicus;quíque adeò ſuũ eſſe non ignorat gẽtis incolumitati proſpicere, liberis amplificare patrimonium , regnúmque florens velut opimam ad poſteros hæreditatem tranſmittere. Fauſtum quidlibet ac fortunatum deinceps expectate. Spem ille veſtram & expectationem ſuperabit. Rex idem atque pater eſt Ludouicus;ſupremũ igitur euectus ad apicem vnam ſibi reliquam videt creſcendi rationem,ſi ſe ad infimi cuiuſq; curam abiiciat;oblatam ſibi putat in regno de multis bene merendi non occaſionem tantùm, ſed neceſſitatem;ſibi regis patriſque munus impoſitum à Deo intelligit , vt bona pariter & mala reip.ad ſe pertinere arbitretur. Conferte

nunc,

nunc, Auditores, Adminiſtrum cum Rege, cum regni parente videlicet regni procuratorem. Annon enim ſuaue patris nomen perſonámque ſuſtinet erga populum Princeps? Adminiſtrer, etiamſi qualis debet eſſe, talem ſe probet, ecquid ampliùs gerit quàm vices & officium miniſtri? quantùm igitur parentis inter ac miniſtri conditionem intereſt, tantum eſt in re gerendâ diſcriminis inter vtriuſque voluntatem.

Atque ex illo tandem diuini legati communíſque parẽtis duplici titulo, tertium quiddam conſequitur non minùs ad optimam regiminis conſtitutionem efficax, poſitum ſcilicet in obſequio & veneratione populorum. Vtinam, Auditores, ſuo nunquam eſſet experta detrimento Gallia, quantum perduellio inuehat in imperium calamitatis; ſi quando ciues excuſſo iugo cultum propè omnem & obſequium abiecerunt! Atque vtinam ne gentium quidem exterarum clades ac bene multorum imperiorum ruinæ hoc ipſum docuiſſent! Verùm domeſticas alienaſve cicatrices hoc loco refricemus; quæ ſit vel adeò cruentæ ſtragis, vel contrariæ felicitatis cauſa in præſenti tantùm requiro. Vndenam, amabo, domeſticæ peſtes in regnum & inteſtina bella ſæuiſſimè graſſantur? Reuocate ſtrictim atque obiter in memoriam temporum omnium malignitatem, atque deprehendetis illico ciuiles plerumque procellas ex Regum infantia, propterea quòd regno ſemper ad regimen Imperij miniſterio indiget, exundare. Nam præterquàm quòd nec propriâ diuinitate, nec paterno ſibi nomine reuerentiam

uerentiam adminiſtri conciliare poſſunt ex imbecillâ etiam necdum ſatis ad regnum capeſſendum idoneâ ætate ſit vt regibus ipſis vtraque propè dignitas detrahatur. Sapienter atque ordine remp. temperant adminiſtri ? Regno quidem feliciter;at regi non ſatis glorioſè,cuius claritas perinde ac ſideris alicuius lumen interiecto corpore ſaltem apud nos aliqua ex parte deperit & obſcuratur. Imprudenter, perturbatè nec tam è re communi quàm è priuatâ regnum procurãt?Imperio quidẽ calamitoſè, cui,regis imbecillitas,vt ſolis defectio terræ,nõ mediocriter incommodat;ſed regi calamitoſiùs fœdiúſque , cuius nomen trahunt in inuidiam, dum factis,vt leuiter dicam, minimè regalibus regiam autoritatem obtendunt Atque ita ſimul adimunt regi gloriam,ſimul eripiũt regno trãquillitatem. Hinc enim primùm obmurmurationes populorum, qui paſſim adminiſtrationi nec latenter obtrectant:hinc deinde ſeditiones, populares turbæ, ciuiles tumultus , quibus iactari nauigium imperij neceſſe eſt,quãdiu proprio rectore caret : hinc domeſtica bella quibus lacerati iã regni reliquiæ laniãtur;dũ optimates inuident;populi rebellant ; ſummi pariter & infimi autoritatem regiam, vt pote commune bonum ; ægre ferunt abalienari;vniuerſi exuere obſeruantiam tum ſibi fas eſſe ferè putant,cùm dignitatem quodammodo rex viſus eſt abdicare , rex ipſe poteſtatem tueri ſine maieſtatis diſpendio non poteſt, nec regalem retineri potentiam,quin paternam animo caritatem deponat.

Non ita ſanè,non ita cùm regno moderatur
is

cui moderandi cura ex officio incumbit. Et-
im præter innatam populis erga ſuos reges
neratíonem, quam impreſſa quoque à Deo
l in ipſis regum oculis granditas eblanditur:
neſcio qua inſuper ingeneratâ hominibus
nbitione, cõtingit, vt ſecundùm Deũ vni dun-
xat excellenti cuidam Dei legato velint ob-
mperare Quid quod auaritiæ plurimum etiã
eſt ciuium indoli, qua fit vt ei tantum liben-
ſimè morem gerant, à quo vberrimum obſer-
ntiæ ſuæ fructum expectent; tantóque pro-
le regibus obſequantur alacriùs, quanto me-
s paternam reges ac diuinam beneficentiam
nulantur. Probè nimirum populi ſciunt cupi-
ores eſſe gloriæ principes, quàm diuitiarum;
oriam autem colligere præſertim è ſuorum
icitate: nihil eſſe cur metuant paupertatem ij
orum eſſe quicquid eſt omnium; multò mi-
s habere cauſæ cur immodeſtatâ licentiâ de-
nt hęredum fortunę prouidere: pertinere
tro ad honorem capitis membrorum cæte-
um integritatem; nec ab alio quàm à capite
itares effuſiones in reliquos artus effluere.
cedit & illud poſtremum, vt quanquam in
ſe gradu contineant adminiſtri, nec ſine re-
nutu atque arbitrio remp. procurent, regiæ
en claritatis partem decerpant non medio-
n: tum verò ſplendeſcere integrâ luce prin-
em, cùm ſe nemo penitus offert in ſocie-
m honoris, nunquam ferè ſpectabiliùs
m hocce tempore fuit; quo tempore ad re-
benigniſſimum confertim omnes ſiue
ndi facilitate, ſiue colendi ſtudio, ſiue im-
andi cupiditate pellecti confluunt promiſ-
cuo

rium iuxtà & peregrinorum concurſu.

Sed ne longiùs fortè quàm neceſſe, ſit oratio mea prouehatur, nunc mecum; Auditores, vnà, quæſo, ſpei de Ludouico conceptæ magnitudinem reputate. Quid eſſe præſtantius poteſt vtiliuſve ſalutari regni totius adminiſtratione; cuius pretium nemo queat niſi è Ludouici, quem totum illa quantus quantus eſt nôbis impendit, dignitate metiri? Ecquæ porro melior nobiliórque fingi poteſt rerum gerēdarum forma, quàm ſi cum paternâ regis optimi prouidentia ſingulare Dei præſidium, & plenum venerationis obſequium populi conſentiant? Pacauit antea quidem imperium Ludouicus; quia nuſquam ſecuriorem tenet curſum nauis, nec ad portum feliciùs appellitur, quàm vbi reſedit tempeſtas, ac ventorum turbines quieuerunt. Reſtinxit Adeodatus bellorum incendium; quódque nuper è fumo nebuloſum & caliginôſum præceſſit, ex eo præſentis temporis ſerenitas præclariùs effulget. E tempeſtate iactationéque regni maiorem eſt gubernator induſtriam regendi conſecutus: ex imminentis incēdij periculo lucē regnum & fulgorem ampliorem accepit; idémque Galliæ contigiſſe crediderim atque illi Luparæ parti, quæ deflagraſſe videtur ea re tantùm, vt magnificentiùs inſtauraretur. Quid multa? ipſemet ſapientiſſimè regno per ſeſe moderatur Ludouicus; hoc vnum ſatis eſt ad ſpem eximiam pleniſſimæ felicitatis: iámque nihil ſperare aliud fas eſt, nihil nobis aliud exoptare; niſi vt quod facere inſtituit in præſenti, diu facere in poſterum perſeueret.

Verùm cùm non paucis obnoxia fraudibus

expe

xpectatio perſæpe homines inani ſpecie futuri
oni atque vmbrâ deludat : adiunctam vt plu-
imum ſolet habere formidinem, quæ nos ali-
uâ lætitiæ parte nec exiguâ defraudet.Itaque
uò puriùs pleniúſque ſperatæ felicitatis sẽſus
n animos influat : reliquum eſt vt certam no-
is ac ſecuram ſpem affulgere alterâ huius ora-
ionis parte,comprobetur. Et quoniam domina-
us optimè gerendi præſidia poſita ſunt, alia
uidem in rege,iñ adiutoribus alia,alia demum
n propenſâ Numinis & auxiliari voluntate:or-
lior ab ipſo rege, in quo perfectæ gubernatio-
is capita duo,ingenij nimirum,indoliſque bo-
itas, cùm inſita ſint à naturâ; tum expolita
ſu, cæleſtique vi mirabiliter exculta. Patere
gitur, ſapientiſſime Princeps, regium vt ſub-
am illud non tam conſilij tui conclaue quàm
apientiæ ſacrarium ; arcanĩ luminis, ſi modò
cies ferat,teſtis & prædicator futurus. Neque
nim iſtic ego te regiis internoſcam ex inſigni-
ús, quæ tibi modeſtia tua detrahit; neque ex
lâ corporis totius maieſtate,quæ te quàm qui-
bet ornatus inſigniùs exornat.Vnam intuebor
untaxat ingenij lucem excellentem, quâ tu, ſi
apientiſſimo corona decerneretur, etiam in
Gallica hoc eſt ingenioſiſſimâ gente regnares.
Vnde ſcilicet omnibus exploratum abunde fiet
onſilij regnique caput eſſe te; in quo velut in
umano capite ſenſus omnes natura collocauit.
ta eſt, Auditores, ſenſus omnes intelligentiæ
olligit in ſe Ludouicus;ac ne quid in eo deſi-
eretur ex ingenij dotibus,memoriâ præterito-
ũ inſtructus eſt,præſentiũ cognitione,prouidẽ-
â futurorum.Exterarum gentium ex cuiuntu

negotia

negotia, priſcarum ætatum conſilia referuntur? Ludouicum crederes vitam eò dominatúmque ſuum propagaſſe, vita ſe locorum omnium præbet temporúmque peritum. Habentur ſacris perinde ciuilibúſque de rebus conſultationes? pontificiam, vt olim, ac regiam ſimul in illo putares dignitatem cohærere. Res agitantur mole ſuâ grauiſſimæ, multitudine innumerabiles, diſcrepantes varietate, nodis ac difficultatibus implicatæ? nemo non iure ſuſpicaretur multorum in idem ingeniorum lumina confluxiſſe.

Atque hæc quæ commemorantur à me, ita non aſſentatoriè prædicantur; vt de publicâ famâ plurimùm etiam decedere veſtrûm cuiuis, Auditores, facilè innoteſcat. Nam quid ego regali ſecretioris conſilij receſſu incluſa teneam ea miracula, quæ iam rumor paſſim increbreſcens apud omnes euulgauit? Publicæ lucis inſtar eſt mens principum, quæ cùm excelſo & illuſtri loco ſita ſit, latere neminem nec vllo contegi artificio poteſt. Loquere igitur, Gallia, quæ noua ſemper ingenij præcellentis argumēta in dies admiraris: túque præſertim, Lutetia, loquere, quæ propter vicinitatem regiæ mentis fulgere copioſiùs colluſtraris. Narra ciuibus tuis, ſcribe remotas in regiones id quo ſingulorum animi iucundiſſimam ad ſpem optatæ ſortis erigantur. Dic habere te regem eâ vi & maturitate iudicij præditum, quâ ſuſtinēdo regnorum maximo Par eſſe vnus ipſe queat; ſapientiſſimis perinde conſiliis vtentem, ac ſi nec eſſe ad id muneris comparatus à naturâ, nec ab inſtitutione conformatus; eâ vigilantiâ ſtudióque,

quaſi

quaſi proprio ſimul & alieno conſilio parum valeret: geminis perfectæ prudentiæ partibus ſic abſolutum; vt & ſapienter conſulere poſſit,& bene monentibus velit obtemperare.

Quanquam ſuſpecta ſis fortaſſe,Lutetia, ſi regis ipſa tui laudes apud cæteras nationes magnificentiùs oſtentes. Loquãtur gentes exteræ potiùs;loquantur legati, quos vndequaque reges ac principes ad Ludouicum vel officij vel negotij cauſâ deſtinarunt. Quoties illum in publico procerum prudentiſſimorum conſeſſu non alium ſapientiâ locum obtinere ſuſpexerunt, quàm qui dignitati debebatur? quoties eundem experti ſunt in priuato congreſſu, ſideris alicuius inſtar vni tantum homini priuatim quantum omnibus communiter lucere? quoties ingenium admirati ſunt,etiam cùm ſe remitteret oblectatione ſuaui, de robore tamen remittere nihil; ſed ludere ſapienter, & iocari non ſine maieſtate? Nos autem (etſi iam pene conſuetudo tantis rebus admirabilitatem ademit) miramur tamen adhuc; ſtuporémque noſtrum aut miraculorum aliorum ex aliis nouitas, aut eorundem magnitudo conſeruat. Aſſueuimus quidem ab ipſâ regis pueritiâ delectis eiuſdem effatis, quæ velut oracula non ſine religione audiebamus: verùm vt anguſtioris illa ſapientiæ fuerint,quę iam tum igniculis quibuſdam emicaret;ſapientiæ tamen infantis oracula fuerunt. At nunc virilem in eo ſapientia vim & firmitatem aſſecuta ecquam ſui,Deus immortalis!admirationẽ in præſens, ecquam in poſterum expectationem cõcitabit?

Teſtem appello inſtar omnium vocem vnam, dignam rege, ipſomet inſpirante Deo non indignam: cui primùm cùm ederetur applauſit aula, quam Gallia ſingulari communium ſenſu gaudiorum excepit, quę peregrinas deinde oras deferente famâ longè latéque peruagata eſt. Teſtem, inquam, profero vocē illam Ludouici, cùm palam neque ſemel, audiente regio comitatu profeſſus eſt, ſe quidem ducere optabilius carere ſceptro quā non vti; turpius nihil ſibi videri quā Regē vnicam regij nominis vſurpare vmbram, munus alteri & autoritatem permittere; neque ſe vereri quidquam vehementiùs, quàm Principis illius agnomen, quem poſteritas inertem appellauit. O vocem regiæ fidei obſidem, indicem excelſæ mentis, ſpecimen indolis heroïcæ magnificum! vocem fatidicam, vadem ſpei popularis, publicæ felicitatis pignus, diuinæ potiùs quàm humanæ ſapientiæ pronunciatum! O gentem præter cæteras nationes fortunatam, cui tam certà ſponſione tanta felicitas oppigneratur! felicem ſupra reliquas mundi regiones Galliam, ſi fidei conſtans fuerit ac promiſſi tenax Ludouicus! Erit autem, AVDITORES, erit vt in moribus ſic in verbis religioſus princeps; præſertim cùm ad religionem accedat conſtantia naturæ, cui virtus innixa nutare non poterit, nedum vl à re labefactari. Erit autoritatis regiæ retinentiſſimus; qui propter indolem ſeu factam ad regnandū, ſiue ad bene de populis merendum ſua ſponte procliuem, relaxari animum rerum grauiſſimarum tractatione fatetur. Erit in inſtitutæ propoſito gubernationis immotus; qui propter ſapientiam

ientiam imperio maturam, ac multò magis
propter probitatem (quod alterum adminiſtrationis regiæ caput eſt) ſuas conſtanter Deo, ſibi, regnóque curas addicet.

Et certè quàm Dei rebus antè omnia ſtudioſè proſpiciat nouit religio, cuius priuata ipſemet officia ſic exercet, ſic publica per idoneos curat adminiſtros exerceri; vt neque ſuis moribus Chriſtianiſſimi Reges appellationem refellat; & eòrum hominum calumniam refutet, qui ſacerdotia nõ virtutis eſſe præmia, ſed fortunæ dona mentiuntur. Nouit impietas, cuius non modò prohibet ſceleratas manus à ſacris, ſed ſacrilegas etiam voces inſtauratâ legũ patriarum ſeueritate cöërcet. Nouit hæreſis & illa vetus, & iſta recentior à Nouatoribus in Galliam inuecta, quam nuperis tum regiorum edictorum fulminibus attriuit, cùm truncatas venenati corporis partes, more ſerpentum reſarcire ac reſuere omni arte moliretur.

Quàm verò proprios ipſe mores accuratè componat ad omnem honeſtatem, ne quis à me dictum exaggerando putet: non dubitabo aliquem vnum è ſeuerioris vtique ſupercilij criticis inter aſſiduos ſpectatores inducere cenſorem Obſeruet ille curioſè regis facta omnia; dicta excutiat, per me licet; nutus exploret vniuerſos, vel in ipſos luſus ſeuerè ſi lubet inquirat. Ecquid in iis tandem eſt, quod aut carpere moroſitas aut arrodere maleuolẽtia poſſit? Quod ſi fateri continuò cogitur non aliis regem inſueuiſſe oblectamẽtis animum reficere, quàm quibus cum labore corporis, ingenium corroboratu r; adeò non amare delicias niſi vi-

riles & actuoſas,vt voluptates perpeti,ac perfrui labores exiſtimetur:nunc ergo ducat ex otio non inanem negotiorum, ex oblectatione non dubiam occupationum coniecturam. Sed quis Ludouici cenſor ipſomet Ludouico rigidior eſſe poſſit:qui ſibi non modò credit idem non licere ac cæteris, verùm etiam in maiori criminum impunitate, minorem eſſe peccandi licentiam oportere: quíque ratus principis vitam fieri cenſuram populorum debere,hanc ſibi legem impoſuit, nullas aliis imponendi ad quas exemplo potiùs quàm pœnâ præmiove cæteros non incitaret?

Fruſtrâ nunc,Auditores,illius erga populos caritatem commemorem, qua publicus veluti miniſter, dominus cùm ſit,ſe ſuorum vtilitati totum deuouet: aſſiduitatem in rerum tractatione quotidianam;qua fit vt non ſibi viuat ſed aliis, & ea quæ ſurripit ad oblectationem tempora, ſanitati regiæ hoc eſt communi etiam bono reponat;vigilantiam propè nimiã & improbam qua pauculas propriæ quieti horas ſeponit;vt popularibus commodis priuato, quod metuimus, incommodo laboret: incorruptam integritatem, quæ non hominum ſed rerum duntaxat habitâ ratione, ſingulos regis arbitrio,regem ipſum ſubiicit æquitati: comitem admirabilem, qua faciles ad ſe omnibus, ſibique viciſſim in animos omnium expeditos aditus patefacit: adiunctam affabilitati grauitatem.qua populorum amori venerationem ſic admiſcet,vt ex effato ſapientis, non tam illum ſubditæ gentes quàm pro illo timere videantur:cæteras denique virtutes, quę veluti cæleſtes

tes opifices minimè caducam nobis beatitatem elaborant.

Quantum igitur tibi, Gallia, proſperitatis adpromittunt eæ laudes, quæ cõfluentes quaſi totidem riui nobile quoddã inexhauſtę felicitatis flumen efficiunt! Finge tibi fluuium vnum aliquem ex admirabili plurimorũ cõfluxione collectũ: vides vt varias lõgè latéque regni regiones alluat, irriget agros, arces muniat, emporia locupletet, oblectet populos, pateat omnibus promiſcuè, imperio toti pulchritudinẽ ac diuitias importet? Hæc regiæ probitatis imago non inuenuſta; cui ſi bonitas ingenij tanta, quantam antea ſuſpeximus, acceſſerit; quàm firmis tua excitata fundamẽtis & conſtituta nitetur! Nititur enimuero, nititur in eo rege, in quo virtus cum naturâ tam aptè conſentit, virtus vt in naturam penè tranſierit, natura in virtutem: qui ſic operoſè regiis muneribus defũgitur, ſic ſponte tamen & eâ propenſione voluntatis; vt meritò dubites an induſtriæ laborique laus illa ſit, an indoli potiùs & naturæ tribuenda: qui denique primordiis, quaſi floribus futuram tibi oſtentat fructuum vbertatem, vel etiam fructuum nouorum libato guſtu ſperatę maturitatis tibi præſenſionem ingenerat!

Quanquam autem, Auditores, eiuſmodi principem nacti ſumus, in quo plures haud paulò nobilioréſque quàm in alio quouis dotes conueniant: non diſſimulabo tamen, cùm omnem inſtitutionem vitæ, tum regiæ præſertim conſuetudinis rationẽ hominum adiumẽta deſiderare. Præterquamquod enim ſapien-

tiſſimi cuiuſq;ſuffragio conteſtatum eſt,*magna negotia magnis adiutoribus egere*; ac præcipuè *grauiſſimos principis labores, quîs orbem terra capeſſit*, *egere adminiculis*:ea quoque res tam multis támq; inſignibus paſſim optimatũ exẽplis comprobatur;*vt ſi de ſuâ vnius ſententiâ princeps omnia geret, ſuperbũ hunc iudicari par ſit potiùs quàm ſapientem.*Quamobrem modeſtus iuxta conſultúſque Ludouicus, nihil vt ad ſtabiliendam firmiùs expectationem noſtram prætcriret;quæ duo regem extrinſecus ad gubernandum adiuuare maximè poſſunt, conſilium & exemplum ſibi lectiſſimũ comparauit. Ac de cõſilio quidem,quoniam vnius hoc loco regis mihi prædicatio propoſita eſt,nihil dicã aliud;niſi ſolitos ad res ſiue ſacras ſiue ciuiles adhiberi conſiliarios à Ludouico vel approbatos fuiſſe vel delectos;hoc iis vnum multiplicis inſtar præconij eſſe debere : qui ſi non eſſent cuiuſmodi ſunt , tales fierent frequentiſſimo tanti regis támque nobilis exemplaris aſpectu.

De te verò vt ſileam , auguſtiſſima Regina, Ludouici optimi parens,etſi vehementer velis, vix à me certè queo, ac ne vix quidẽ impetrare. Mihi tamen iam videor duplici verbo penè omnia cõplexus;cùm te ſimul & reginã auguſtiſſimam,& parentem optimam appellaui : reginam , quæ tractaſti difficillimis temporibus imperij clauum:atq; ita tractaſti, vt inter diuturnas ac turbulentiſſimas tempeſtates reip.nauim ad optatum denique portum propelleres: parentem non regis tantùm ſed regni totius amantiſſimam, quæ dignitatem vtriuſque mãdatis priùs, nunc etiam conſiliis procuras. Tu

egi, vbi primùm ſuſcipere per ætatem licuit, ncolume regnum atq; florens in manus tradidiſti;neque tamen ex illo deſtitiſti vnquã imperio decus & incolumitatem conſeruare. Et quanquam tibi iam tantò gratularis ampliùs, quantò minus egere operâ tuâ regnum, minus ndigere filium conſilio tuo cognoſcis;vtrinq; tamen, vbi res exigit', reginæ prudentiam accommodas,parentis caritatem,ac propter ſummam cum Ludouico iudicij voluntatiſque coniunctionem,in eundem ſemper adminiſtrationis optimæ ſcopum collimabis.

Sed quoniam vnis, Auditores, filij laudibus modeſtiſſima parens capi poteſt;ad inſtitutam, vnde ſumus tantiſper diſgreſſi, gratulationem confeſtim redeamus. Quid enim ſi ad illud ſpei noſtræ tam ſtabile firmamentum, alterum etiam externi ſubſidij genus,quod in exẽplo poſitum eſt,adiungatur?an non, vt magnanimo cuique contingit:exemplaris eximia dignitate nobilis ac ſtrenua per ſe ſe indoles excitabitur, acuetur induſtria, vehemens gloriæ cupiditas exardeſcet?Neq;hoc prętermiſit efficaciſſimum abſolutæ gubernationis præſidium Ludouicus:euoluere cœpit hiſtoriarum monumenta;Gallicis pręſertim ex annalibus conquiſiuit, quem ex omnibus maximè, aut quid è ſingulis æmularetur,atque in vno tandem cæteris leuiter decurſis, habito ſtudioſè delectu acquieuit.Qualem autem virum,Auditores,& quantum heroem ſibi rex ſapientiſſimus ad imitandum delegit? Depingite animo Galliæ amorem, terrorem orbis, vnum aliquem ſuperiorem reliquis, vno futurum imitatore infe-

tiorem: Henricum de pinxiſtis magnum illum, digniſſimum tirone purpurato, idoneum tanto diſcipulo imperandi magiſtrum.

Quo in delectu, Rex auguſtiſſime, dum oſtendis non niſi maxima quæque tibi probari, animi excelſitatem tui non obſcurè declaras. Eius enim tibi regis exprimendam in adminiſtrando ſpeciem proponis; qui magnitudine quidē rerum geſtarū, ſed multò magis pectoris amplitudine, magni cognomen eſt meritò cōſecutus. Neque tamen minor eam ob rem cenſeberis, quia videris æmulator; ſed maior idcirco potiùs, quod illorū qui præcurrūt laudis pars non exigua fortunæ ac temeritati, horum qui ſequuntur gloria iudicio virtutique debetur. Et ſanè lōgo vt Henricum interuallo facilè ſuperes, plurimis te, quibus ille carebat, ſubſidiis natura liberaliter inſtruxit; nullum, quo fulgeret, tibi negauit ornamentum. Indolem illam magnanimam iuxta & beneficam; hoc eſt auaram gloriæ, prodigam felicitatis cum eo communem habes; at maieſtate corporis, inſtitutione puerili, culturâ religionis ipſemet à te ſuperari ſe gloriatur. Referes igitur Hēricū alio nomine, auguſtioriq; ſpecie nobis è tumulo ſpirātē in te ſic excitabis; vt acceptū ab illo fulgorē non ſine fœnore in eundem refundas. Hæc erit aui gloria exemplo nepoti præfulſiſſe, iſta laus nepotis erit, vlteriùs promouiſſe imperij felicitatē: cæterū hoc vtriq; veſtrûm domeſticū decus futurum eſt, quòd tu ex auo duntaxat vno gubernationis optimæ ſimilitudinem ducas; te cæteri cōſequentes deinde reges velut ideam regnandi perfectiſſimam contemplaturi ſint.

Magna

Magna quidem ea ſunt, Auditores, & ad
pem fortunatiſſimæ adminiſtrationis firmiter
undandam opportuna: quis tamen credat lōgè
liquid ſupereſſe maius; & quidem eiuſmodi
ihil vt aliud queat ad plenam ſperandi ſecu-
itatem flagitari? Quicquid ſuppetit ab homi-
ibus, etſi radices egerit in natura, inque vir-
ute altiſſimas; conditionem tamen habet, vt
liquando poſſit vel propria infirmitate ruere,
el alienâ impreſſione conuelli. At ſi vadimo-
ium, vt ſic dicam, promittere Deus ipſe, ac
onſione quodammodo vinciri nō detractet;
ubiine partem vllã ac formidinis expectatio-
i noſtræ adhæreſcere patietur? Atqui ſpōſione
Deus obſtrinxit minimè dubiâ, nec fidē ob-
gare pro Ludouico recuſauit: cùm ferè præter
em omnium in ſpem eximiã cumulatæ feli-
tatis, illam diuinæ potiùs quàm humanæ fœ-
nditatis partum Gallico regno conceſſit.
uid ego velim occupatis, opinor, Auditores;
q; ſummam orationis huius vnico tandē A-
odati vocabulo collectã à me nō ignoratis.
Hoc igitur adiiciam tantummodo; ex quo
cile ſit præſagire Ludouici fatum, Deíque de
o conſilium augurari. Adeodatus eſt Ludoui-
s: nefas ergo atq; impietati proximum eſt de
eo, qui ſpem nobis hoc munere ſingularem
tendit, fraudem ac mendacium vel ſolo metu
ſpicari. Adeodatus eſt Ludouicus: ſpes itaq;
alliæ totiusaique vota cumulari non noſtra
tùm intereſt, ſed ipſiuſmet Dei, in quem
alè geſtæ reip. dedecus, vtpote in largitorem
ni redundaret. Adeodatus eſt Ludouicus: ſe-

plicate igitur memoriâ ætates illas in quas Adeodati Principes proſperitates infinitas, depulſâ temporum iniquitate intulerunt; indéq; vaticinamini optimum regem beatiſſimâ regnandi ratione benefici nominis omen impleturum. Reuocate, ne Theodoſios peregrinâ è gente, alioſq; conſimiles arceſſam, vnius inquã è Gallica ſtirpe Philippi ſecundi laudes triplici elogio conſignatus reuocate. Recordamini Auguſtum eundem propter virtutes, victorioſum ob triumphos, Adeodatum propter exoratam à Deo parentum fœcunditatem fuiſſe nuncupatum. Parce tamen tãti principis dicere nõ verebor, maius aliquanto Galliam puriúſque Dei donum accepiſſe, cùm cælitus nobis Ludouicus diuinâ liberalitate donatus eſt. Multis ille quidem ac diuturnis votis conſtitit Galliæ, vt ita dicam, parturienti; qui ſi pluribus etiam fuiſſet laboribus & ærumnis redimendus, verè tamen Adeodatus diceretur: Adeodatus, in quo præter humanam conſuetudinem diuina decora mirabiliter exprimuntur; Adeodatus præter te, Philippe, ſupráque cæteros omnes, in quo nunquam exhauriuntur Dei dona, ſed apta potiùs alia ex aliis præſtantiorum nobis in dies expectationem ac fiduciam iniiciunt.

Quid ergo reſtat, Auditores, imò quid non ibi dicendum reſtat, vbi ſpes penè ſola orationem omnem abſorbet; ac multo plura maioráque, quàm adducta ſint, diuinanda relinquit? Age nunc igitur, Gallia quæ nihil vnquam deſperatiſſimis temporibus deſperaſti, quàm magna fortunatiſſimis & quàm ſecura tibi ſpes perfectæ felicitatis exoritur? quanquam enim

nagnificus princeps vota tua viſus eſt regali nunificentiâ cumulare ; nondum tamen expe-ſtationis cōcitatæ partem niſi mediocrem im-pleuit, Dúmque miraris in rantis rebus geſtis upereſſe adhuc aliquid quod ſperes;ita ſpes de e maximas vincit,rem gerendo,vt faciat mul-ò maiores. Conflictata tu quidem es graui & diuturnâ ægritudine ; ſed interim acerbita-em doloris ſpes voluptatis exquiſitæ ſuauiſſi-na leniebat. Adoleſcebat enim interea rex op-imus quocum ſpes pariter in dies tua nouas acceſſiones capiebat. Nunc autem non reſpiras antùm à malorum importunitate , ſed ad exi-niam bonorum conditionem aſpiras:quid re-tat, niſi vt debita gratulatione regiam erga te nunificentiam prouoces , cuius vnâ ſpe paſci-ur animus,ac ſolâ cogitatione oblectatur?

Sic eſt,Auditores Illuſtriſſimi, ſic mihi Gal-ia, præſentem iuxta & futuram gratulari Lu-louico felicitatem videtur. Quod præter cæ-era vehementer expetebam,Rex maxime,quo cilicet vno reliqua omnia continentur , admi-iiſtrationem vt imperij per te ſuſciperes ; ef-uſè nobis ac prodigâ quâdam tui largitione conceſſiſti:hoc ſpei magnificentiſſimę caput eſt atque culmen.Singulares ſapientiæ ac probita-is opes partim habes à naturâ , partim ab vſu comparatas ; alienas etiam accerſere in ſubſi-lium vires & exempla non dedignaris;pro te Deus ipſe vadimonium obire nō detrectat:hoc pei certiſſimæ fundamentum. Quid ego tibi am,Princeps optime,præter vota & grates ex nimo rependam? grates, quas videlicet vnas eponere homines Deo Deique ſimilibus

principibus poſſunt; vota, quibus eam quam peperiſti aliis, tibi fortunam apprecentur.

Optamus tibi quidem vitæ diuturnitatem maximam; vt quàm tardè nobis exortus es, ſerò nobis deſinas prælucere: atque hîc hæremus animo ſuſpenſi an tibi mortales immortalitatem exoptemus. Simillimum certè filium, regni paterni ac virtutis heredem efflagitamus; vt acerbiſſimum tui deſiderium aliquando Galliæ non ſine ſuaui ſolatio relinquas. Tanti porrò partus ſpem fortè proximam, non dubiam ſanè nobis iniicit ortus tui miraculum illuſtre, vtriuſque coniugis pietas, vota regni totius, Dei de nobis cura caritáſque ſingularis. Faxit ille ad ſpei fortunatiſſimæ magnitudinem & ſecuritatem explendam, vt diu parentem filius perfectum regnandi magiſtrum contempletur.

MARIÆ.

MARIÆ TERESIÆ AVSTRIACÆ CHRISTIANISSIMÆ REGINÆ ORATIO PANEGYRICA.

Authore

NICOLAO DE HAROVYS Societatis IESV Sacerdote.

CVm de regalibus nuptiis, quarum eſt pars præcipua Ludouicus, agatur hîc à me, Viri Illuſtriſſimi, & agatur in eo loco qui quidem, vt ſacer eſt totus, vix in ſe profanum aliquid admittit, ſi quis eſt qui reprehẽdẽdũ eſſe me idcirco putet quod orationem hanc meam Mariæ Tereſiæ laudibus addicam, meminerit nec à viro ſeiunctam cenſeri oportere laudem quæ coniugi præſertim amantiſſimæ tribuitur, nec violari poſſe ſanctitatem huius loci, quandiu non alteriùs quàm Chriſtianiſſimæ Reginæ lau-

laudationi conſecratur. Meminerim cùm Tereſia non tam vt Regina, quàm vt Regis Chriſtianiſſimi coniux laudetur hîc à me, quo quidem ſenſu pars eſt al qua Ludouici, non hoc Ludouico peregrinum laudis argumentum eſſe, ſed domeſticum, & eiuſmodi vt à toto diſtrahi non facilè poſſit, quod cum parte totius feliciter implicitum cohæret. Meminerit & illud prætereà, ſi quid à me in ea re peccatum eſt, peccatum eſſe & autore & duce Ludouico, qui de amplificanda Tereſiæ gloria, multo quàm de ſua ſollicitior, ita ſe, totâ præſente & inſpectante Lutetiâ, chariſſima cum vxore geſſit, vt ſibi delatos honores aut in illam omnino tranſtulerit (quod amoris omnia communicantis fuit) aut ſaltem ex æquo cum illa diuiſerit, ratus id eſſe iuſtitiæ conſentaneum, vt quæ media ſui pars erat, mediam quoque portionem gloriæ ſecum ipſa partiretur. Hoc denique cogitet, vt multa quotidie grandioribus exarata typis elogia circunferantur, vix tamen eſſe è multis aliqua quæ paulo iucundiùs eos ipſos quibus offeruntur, oblectent, eo quòd qui panegyricas id genus Orationes inſtituunt, minùs alienæ ſæpe laudi quàm ſuæ ſeruiant, multóque magis vel vt ingenioſè, vel vt eruditè quàm vt officioſè dicant, laborent; quo plerumque fit vt dubium relinquatur maiorne ſit ipſi laudanti tribuenda gloria quàm laudato. Ego verò tametſi non negem, quin & pars aliqua modeſtiæ ſit non profiteri ſe plus æquo modeſtum, ita nihilominus dicturum eſſe, ſaluis modeſtiæ legibus, me profiteor, vt neque laudes

des meas in alienis quærere, nec ea ſectari velle videar, quæ manificentiora ſint ad oſtentationem ingenij, quàm ad Ludouici propenſiones ac nutus accommodata.

Quonam autem ex capite laudari ſe vellet à nobis Rex Chiſtianiſſimus, & ſæpe voce, & ſæpius exemplo docuit, cúmque Tereſiæ laudes non minùs in deliciis quàm Tereſiam ipſam habeat, meum eſt ad illius voluntatem cui placere maximè ſtudeo, loqui. Sed quia vereor, ne dum alterius voluntati ſeruio, vim fortaſſis aliquam afferam alterius modeſtiæ, vt ſimul vtrique, ſi quo modo poſſum, conſulam, in prædicandis Mariæ Tereſiæ laudibus ſic immorabitur oratio mea, vt eas potiùs, aut in commune pacis bonum, aut in regales nuptias, quàm in priuatam illius commendationem (ſi tamen alterum ſeiungi ab altero poteſt) deflectam. Hic ego te, Maria, vt Chriſtianiſſimi Regis coniugem Chriſtianiſſimam intueor, neque tam expendo quid ex illo coniugio gloriæ perceperis, quod ægrè modeſtia tua pateretur, quàm quid ex eodem & honoris & firmamenti in ſanctam ſolemni ſacramento pacem deriuaris, quod, vt eſt cum vtilitate publica connexum, non poteſt Maieſtati tuæ non eſſe ac videri iucundiſſimum.

Cùm pax nobile quoddam ſit animorum vinculum duo mihi videntur ad eam ex toto conflandam neceſſaria magis, quorum alterum dignitatis eſt, firmitatis alterum: quod vtrumque ſi paci nuper initæ, à regalibus nuptiis acceſſiſſe demonſtrauero, id arbitrabor effeciſſe me, quod maximè volebam, pacis fœdus ab ipſo

coniugij

coniugij fœdere ſic eſſe cumulatè perfectum, vt ab eo glorioſiſſimum idem idémque firmiſſimum extiterit. Primùm de gloriâ, tum de pacis firmitate cognoſcite.

Si quicquam hactenus dicere de Hiſpanorum fortitudine pariter ac potentia neceſſe habuimus, eâ ſanè temperatione diximus cui plus aliquid parcimoniæ quàm liberalitatis eſſet. Cùm enim Galliam inter & Hiſpaniam ardente bello periculum eſſet, ne quis in militum noſtrorum animos obreperet timor, ſi quantâ vi polleret hoſtis, intellexiſſent; ſic agere de illius militari conſtantia nos oportuit, vt eò parciores eſſemus in laudando, quò fortior inimicus eſſe in pugnando videbatur: nunc autem cùm & ſuauiſſimum ſit meminiſſe, quo vitæ diſcrimine, fortiſſimo cum aduerſario conflixerimus, & ad noſtri claritatem nominis illuſtriſſimum, quòd ſine vllo rerum noſtrarum detrimento conflixerimus, dicam ingenuè quod res eſt, & cum bona veſtra venia; gentes omnes exteræ, dicam eam Hiſpanorum eſſe fortitudinem, cum quâ contendere, tametſi fortaſſie aliquandiu poſſitis, non diu poteſtis impunè; & quamquam ab imperitis rerum æſtimatoribus faſtuoſi nimis ac erecti ſupercilij ea plerumque natio iactetur eſſe, id ſaltem ego, quod ad illius non modò defenſionem, verùm etiam commendationem facit, pronuntiare affirmando non verebor; ſi quo faſtu ſuperbior tumet, non eſſe faſtum illum inanem quem tot vrbes, tot ampliſſimæ prouinciæ, tot regna, tot circumpoſitæ regionds implent, adeò vt tumor ille, ſi quis eſt, non

tam

…m ſit vanæ cuiuſdam ſuperbiæ quàm ſummæ …umulatæque plenitudinis argumentum.

Naſcitur Hiſpania vbi ſol occidit, latiùs …b occaſu in ortum extenditur, & ad Indias …ſque porrecta, altero veluti brachio ſolem …adentem, orientem altero complectitur, adeò …t, dum Turcæ ſatis eſt lunaris arcus, nihil …ropius ſit quàm vt orbem Hiſpania ſolarem …mpleat. Ac ne quis è vobis exiſtimet, hæc à …ne aut ſplendidiùs ad pompam, aut inge…iosè magis ad figmentum quàm ad verita…em appoſitè prædicari, ipſimet interrogate …artem Europæ non mediocrem quam illa …ibi vectigalem fecit: Aſiam, Africam, Ame…icam interrogate, in quibus aras extruxit æ…déſque ſanctiſſimas, fundauit vrbes, muniuit …rces, firmauit colonias, imperia ſtabiliuit: in…errogate gentes quas domuit, munitioribus …um à naturâ, tum ab arte præſidiis defenſas, & illicò futurum intelligite vt omnes quotquot vbique ſunt terrarum populi, quamquam linguis cæteroqui maximè diuerſis vtâ…tur, in eaſdem tamen communi ſuffragio voces erumpant, quibus & Hiſpaniæ dignitatem à magnitudine ſuſceptarum rerum, & ab earumdem egregiè diſpenſatarum ordine prudentiam, & ab exequendarum difficultate conſtantiam, & à perfectarum gloria vim incredibilem honorificentiſſimè commendent.

Tametſi nihil amplius obtinere Gallia potuiſſet, quàm vt in æquilibrio veluti quodam cum illâ de quâ iam dixi tantæ molis gente conſiſteret, id vnum ſi nuperrimo fœdere extorſiſſet ab Hiſpaniâ vt æquis paciſci condi-
tionibus

tionibus liceret, an inueniri poſſet aliquis iniquus adeò iudex, vt neque dandam illi veniam arbitraretur, quòd ſuis contenta finibus nihil quicquam de alieno fundo detraxiſſet, neque vertendum gloriæ putaret eſſe quòd ſalua tutari omnia contra tam ingentes hoſtium copias conſtantiſſimè potuiſſet. Iam verò quantum habet hoc admirationis, quòd noſtra gens, ea gens quæ non alio ferè vitio laborare quàm nimiâ leuitate dicitur, ei tamen ipſi cuius eſt germanus veluti character grauitas, aliquando præponderauerit; cuius illud fuit & quàm inſignis ad memoriam poſteritatis immortalem gloriæ, ita cum Hiſpano pepigiſſe, vt Ruſcinonenſem comitatum, propioris Belgij partem optimam, erepta fœderatis munitiſſima loca, vrbes denique ne plura dicam obtineremus magni celebritate nominis illuſtres, munimentorum robore propemodum inexpugnabiles, florentes opibus, magnitudine conſpicuas, ſitu pulcherrimas, affinitate locorum opportunas, antiquitate ſuâ venerabiles, numero non paucas, ſuorum denique ciuium fortitudine, ſi modò virtus Gallica non prohiberet, ſingulares: ſic prorſus, vt adiecta Galliæ noua quædam Gallia videatur eſſe, tantúmque illud fuit quod ab Hiſpano ſuper expreſſimus, vt & ſeiunctum à toto Galliæ corpore, ſatis vnum ſit ad integram florentiſſimi ſanè regni conſtitutionem.

Sed vt in quod mihi præcipuè propoſitum eſt, immorer, etſi plurimum ſanè glorioſa per ſeſe pax fuit, factam nihilominus illam eſſe contendo à regalibus Mariæ Tereſiæ nuptiis longè

ngè toti Galliæ glorioſiorem. Nam illa tot uitatum quibus aucti ſumus gloria vt ampla t ex ſeſe multúmque paci claritatis affundat, tamen cum Chriſtianiſſimæ Reginæ maieate conferatur, euaneſcet illicò tenuioris inar atomi, ſi cum eiuſdem ſplendore compoatur, obtenebreſcet Quis porrò neſciat tantò luſtriorem eſſe pacem, quantò, quod condiionibus illius adiicitur maioris eſt pretij; quis eſciat nullam eſſe partem Hiſpaniæ quæ veire cum Tereſia poſſit in contentionem dinitatis? Amplius aliquid dico: ex compoſito on ita pridem fœdere ſi tota Regi Chriſtiniſſimo Hiſpania ceſſiſſet, minus aliquid proectò ceſſiſſet, quàm quod ab aſcita in coniuem Tereſia ceſſit. Ea quippe tibi, LVDOVICE, ea ipſa ceſſit, quæ cùm toti quàm latè paet Hiſpaniæ iure dominari hereditario queat, antò maiori Hiſpaniam interuallo ſuperat, uantò maior imperantis eſt dignitas, quàm bſequentis. Sed vt infra Reginam ſubditi ſunt ic eandem infra longè ſint oportet quæ peuntur à ſubiectis illius Imperio populis laues. Quid quantúmque Tereſia valeat, primùm x ipſa Tereſia, deinde è iudicio Ludouici, ùm ex communi totius Galliæ ſenſu iudiate.

Nullus hîc à me, quod obuium vnicuique venire poteſt in mentem, expectandum putet, vel vt eam quâ de hîc agitur à proſapiæ claitate commendem, quam qui Auſtriacam dixit, ſumma dixit omnia; vel vt ea dicendo iua perſequar, quæ dotalia Tereſiæ iura ſunt. Sua ſibi laus eſt, Maria Tereſia, ſuum ſibi

pre

pretium: nec video quid adiici loco dotis illi queat, quæ dotes in ſe iam pridem omnes complectitur. Expreſſam ad delicias illius imaginem iam aliquot abhinc annis, per nobiliores huius vrbis plateas ars ambitioſa circumferebat; atque illa quidem modeſtioris elegantiæ tot aſperſa videbatur illecebris, nihil vt omninò diſcriminis inter aſpectum deſideriúmque ſui pateretur eſſe: & picta quamuis Regina iam tum ſibi à ſpectatoribus ſuis veriſſimi tributum amoris exigeat.

Augebat ſplendorem imaginis, exemplaris ipſius illuſtrior fama, atque ita picturam inter famámque conueniſſe videbatur, vt oculos altera iucundiſſimè paſceret, aures impleret altera ſuauiſſimè, vtraque voluntates omnium ac ſtudia raperet neceſſitate quâdam amabiliter imperioſâ. Sed cùm & ſolers in fingendo pictura ſit, & ſubtilis in mentiendo plerumque fama, neutri priùs adhæreſcere fides bene conſulta poterat, quàm ſe Regina oſtenderet ipſa per ſeſe. Oſtendit autem: & verò vbi primùm in apertam Galliæ lucem erupit, vt picturam figmenti, ſic mendacij famam coarguit, cùm & picturam omnem elegantiâ formæ, & ſparſi de ſe rumoris famæque magnitudinem, ſuæ magnitudine virtutis longiſſimè ſuperaret, vt eſſet nemo qui non fateretur maius illud eſſe quod in Tereſia veritas expreſſerat, quàm quod hactenus in eadem fingere, licèt audaciſſima ſit in fingendo fabula, potuerat.

Non eſt meum accuratori penicillo delineare aptiſſimam illam compoſitionem cor-

oris pleniſſimámque maieſtatis ac modeſtiæ, uius omnes inter ſe partes mirabili quodam epore conſentiunt ; nec id arbitror laudari oſſe prudenter à me , quod à me, ſi ſum is, ſſe qui debeo, decet ignorari. Hoc vnum ſatis habeo quod dicam, tantùm in Tereſia illecebrarum eſſe, vt hanc adierit huc vſque nemo, qui ſuus ab illa rediret:neque verebor ne mihi fides derogetur, neve magis aſſentatoriè dixiſſe quàm verè ac religiosè videar, ſi & illud inſuper adiecero, quod in omnes ita peruulgatum eſt, vt etiam audiri vel ab homine minimè curioſo facilè potuerit, datos eidem eſſe ſpectatorum ſui victores oculos, ſanctioris amicitiæ pariter ac reuerentiæ conciliatores, eòdemum vſque vibrantes ac vegetos, ſeu potiùs in omnium expugnandis animis adeò velociter actuoſos, vt ex quo Galliam ingreſſa primùm eſt, tritam illam vſurpare ſententiam cum Imperatore celeberrimo non immeritò potuerit, veni,vidi,vici.Veni,quo vocante?quo trahente? Ludouico:vidi diſtractam à me pertinaci multorum annorum diſſidio Galliam,totique meæ genti iam pridem infenſiſſimam:& vici tamen; populum armis indomitum,illecebris vici;vici non ferri, ſed oculorum acie;vici,quia vidi; & eos videndo vici, quos pugnando ſuperare nulla vis hominum huc vſque potuerat.

Maior quidem eſt Reginæ præſertim Chriſtianiſſimæ modeſtia, quàm vt aut ita magnificè de ſe loquatur aut ſentiat : ſed hæc ipſa virtus quæ de ſe conticeſcere Tereſiam iubet, non vltrà ſilere me de Tereſia patitur: neque verò fas eſſe crediderim, vt quæ laudis incremen

mentum eſt modeſtia, idque muliebri præſertim in ſexu maximum, ſit eadem hoc loco laudis illius impedimentum. Eſt hæc tibi, Chriſtianiſſima Regina, diuina quædam ac propè ſingularis gloria, quòd cùm ſumma poſſideas omnia, nihil tamen habere te vnde glorieris exiſtimes: vt potiùs, quod eſſe ſummæ tuæ virtutis argumentum puto, quò cæteris es maior, cò minor in opinione tua ſis. Non eſt muta Maieſtas in te, quamuis obmuteſcente linguâ: priùs imperare fortiter, ſeu Gallicè, quàm loqui didiciſti. Sed vt ſumma ſit imperantis autoritas, vt cætera poſſis in nos omnia: amari te ſi quando prohibes, nihil potes. Non tam facta Regina quàm nata videris eſſe, tantóque robuſtioris in ſubditos autoritatis es, quantò minùs autoritatis tuæ retinens. Obſequium quò minùs exigis, hoc magis extorques, vel tum imperioſa cùm ferè ſupplex; tùm maximè ſine pari, cùm te veluti parem omnibus exhibes; tua denique modeſtia, quò magis inimica ſummi iuris eſt, eò potiori iure ius ſibi ſummum vendicat.

Mirentur alij gratulentúrque, quòd Maria Tereſia Auſtriaca expreſſum in nomine futuri coniugij omen habuerit: ego verò, quòd illud idem in moribus expreſſerit, multo magis & mirandum eſſe, & laudandum cenſeo. Miror imprimis & gratulor, quòd illam Regis Chriſtianiſſimi coniugem antè virtus quàm natura finxerit. Reginam facere tuæ poteſtatis erat, LVDOVICE: facere Chriſtianiſſimam, diuinæ. Reginam, quod vnum potuiſti, feciſti, ſed Chriſtianiſſimam inueniſti. Fuit Reginam feciſſe

maieſta

ieſtatis;Chriſtianiſſimam inueniſſe, felicita-
,vtroque dignum extitiſſe, quemadmodum
itiſti, integerrimæ tuæ cumulatæque vir-
is.

Non hîc ſingula pietatis officia quibus in
peros Tereſia defungitur commemoro: ni-
de quotidiana illa penſione longiſſimarum
ecum quam à ſe conſtanter exigit, attingo:
hil dico de vſu ſacroſanctæ Euchariſtiæ fre-
ientiſſimo, cui paulùm moderari neceſſe
ex ſapientiſſimus habuit, ne quo pietatis ex-
ſſu cariſſimæ coniugis paulatim debilitata
aletudo deficeret, Miſſas denique facio virtu-
es omnes, quarum comitatu circumſepta per-
ide graditur, ac ſi vectigales illas ſibíque ſti-
endiarias haberet. Vnum hoc, quo cætera cō-
nentur vno, non hæſitanti voce pronuntio:
a comparatam eſſe tum à natura, tum à vir-
ute Mariam, tot ab vtraque dotibus ornatam:
t illa, ſi ex his oriunda locis eſſet, in quibus
ex Salica vigeret, legitimam reſcindendæ
anctiſſimæ cæteroqui legis, ſed in ſua potiſ-
imum cauſa fortaſſis iniquæ, poteſtatem fa-
ceret. Ne immeritò factum crediderim, vt
ne lex eiuſmodi autoritatis aliquid in Hiſpa-
nia retineret, cùm nefas eſſe videretur eam
ipſam à regi poteſtate ſummoueri, quam
ad populorum regimen natura finxit, expo-
liuit vrbanitas, formæ dignitas expreſſit, ars
erudiuit, ingenij perſpicacitas erexit, pruden-
tiæ maturitas informauit, corroborauit ani-
mi fortitudo, cœleſtis denique gratia conſe-
crauit.

Sed ne ſuſpicionē adulátionis aliquâ oratio
mea

mea laboret, pro me deinceps Ludouicus ipſe loquatur: & quandoquidem æſtimare rem ex ipſa te pro meritis non licet, quale Tereſiæ pretium ſit, & quàm ingens eidem adiuncta gloria, nunc tandem è iudicio Regis vtique ſapientiſſimi cognoſcite. Egregium illud fuit antiquioris autoris effatum, Regum mentibus ſublime quiddam ac propè diuinum ineſſe oportere, atque vt vel in obſequium ſubigi, vel quoquo modo regi brutæ animantes nequeunt, niſi hominis acceſſerit induſtria; ita, quâ lege ſit ille ſupra pecudes oportet, qui pecudum curationi præficitur, eâdem longè ſupra cæteros homines ſapiat neceſſe eſt, quemcumque regendis hominibus ſeu natura, ſeu fortuna, ſeu potiùs illa rerum humanarum diſpenſatrix prouidentia præpoſuit. Quod etſi minimè pertineret ad ſingulos, eſſet idem nihilominus iure ſanè præcipuo, Ludouico tribuendum: vt qui ſummam iudicij perſpicacitatem ab auo, æquitatem à parente ſummam, vtramque coniunctim à Deo, Adodatus ipſe, percepit, idem ille cenſeatur cognoſcere poſſe de ſingulis eâ iudicandi prudentiâ, quæ procul ab omni non tantùm errore, ſed etiam erroris ſuſpicione ſit. Quibus autem in deliciis, quo Tereſiam in pretio Ludouicus habuerit, audite: vt inde faciliùs quanti ſit eadem æſtimanda, metiamini.

Cùm nihil propius eſſet quàm vt toto Rex Chriſtianiſſimus Belgio potiretur, cùm iam ferè victoriam omnem haberet in manibus, cùm ſe nobis veluti certatim & communi con-

ſpiratione

piratione voluntatum inferiores prouinciæ
ubiicerent, ſéque fortitudini Gallicæ, non
am voce, quàm ipſa re faterentur inferiores:
niratī ſunt non pauci quid eſſet cur in illo
ot victoriarum incitatiſſimo curſu, ſeſe re-
entè victor cætera vehementiſſimus con-
ineret, ſic tanquam adductis habenis ſubſi-
teret,& quo maximè tempore adſtipulantem
irtuti ſuæ fortunam inuenerat, eodem &
uam ipſe quodammodo virtutem exarma-
et, & oblatam ſibi tam ingentem à fortuna
loriam præter expectationem ominum ab-
iceret, ſtuporis auxit magnitudinem, quòd
rincipi inter arma nato difficillimum fuerit,
a deponere,tum præſertim, cùm ita, ſeu peri-
è ſeu fortiter,ſeu feliciter tractabantur, vt
oſtibus, quod peritiæ ſingularis erat, quot
ulnera tot ferè mortes infligerent; vt & mu-
itiſſimas arces, quod ſummæ fortitudinis, ex-
ugnarent; vt denique, quod incredibilis &
nte hoc tempus inauditæ felicitatis, tributa-
ios habere ventos,ſortémque ſui veluti pediſ-
equam viderentur.

Magnam ſibi Ludouicus ab omni ſubacto
elgio acceſſuram eſſe gloriam præſentiebat,
nexpugnabile toti Galliæ robur, & ſecurita-
em ſubiectis Imperio ſuo populis maximam.
am multis abhinc annis in hoc abſoluendum
pus, totis conatibus incubuerat, nullis eam
b rem impenſis, nulli labori pepercerat: Id
num quippe ſibi deeſſe ſatis intelligebat, quo
tum Herculem inducret, vt qui iam aliun-
e clauam, qui fortitudinem Herculis habebat
manibus, ſuos idem humeros Leonis Bel-

gici detractâ pelle circumdaret. Hærebat non ita pridem in ipſo victoriæ (vt ita dicam) meditullio, medio pectori Leonis ægerrimè ſpirantis affixus, rimabatur illius viſcera ſcrutatore ferro, nec tam actuoſo dinceps aliquo robore ſuo percutienti Ludouico Leo reſiſtebat, quàm duritie cutis ipſa, quæ craſſiſſimum ſibi callum propugnaculi cuiuſdam inſtar obduxerat. Tum denique nihil aliud erat reliquum, quàm vt ex truncatis omnibus illius membris, integerrimam ſibi victoriam fortiſſimus Athleta conflaret: iam lethales ictus in cor illius intimum penitus patefacto per vulnera corpore deſtinabat, tantóque ferebatur in vindictam ardentiùs, quantò propiorem imminere vindictæ finem nouerat: ſed ecce tibi, grauiſſimè laboranti & magna ſui parte iam imminuto Leoni admodum opportunè Tereſia ſuccurrit, obuiam ſe Ludouici iaculis obiicit, quæque priùs iracundiæ tela fuerant, continuò vt in amoris tela felici mutatione vertantur facit, quibus quidem ita Tereſia confoditur, vt eum ipſum à quo foditur, reciprocatis alternatim vulneribus, ipſa confodiat. Neſcias, vter victus, vter victor: ſed vterque pluſquam ſatis vnde vinceretur habuit: habuit in vtroque Gallia vnde vinceret, auctior à tam illuſtri amoris certamine multóque glorioſior, quàm ab initiis huc vſque præliis aut in poſterum incundis effecti. Arces, LVDOVICE, totius Belgij munitiſſimas inuaſeras, tuis oppoſita viribus mœnia diſturbaras, vrbes in deditionem bene multas acceperas, denique ſi quid vltrà vincendum ſupererat, ſponte vincendum occurrebat,

rebat. Vna ſe tuis conatibus arx amoris
icta, mulier oppoſuit, quam continuò ſic
edisti, vt obſidens idem eſſes & idem
eſſus; ſic expugnaſti, vt acceptis vtrimque
ibus & vtrimque datis, ab ea viciſſim ex-
nareris.

Citra metaphoram loquor, niſi Tereſiam
ouicus impensè ſuprà quàm credi poteſt
ſſet, niſi tanto illam in pretio, quantum
maximum poteſt, habuiſſet, niſi multò
ab illius coniugio, quàm ab omni expu-
à Flandriâ, ſibi futurum eſſe gloriæ, Prin-
gloriæ appetentiſſimus credidiſſet, eò
duci potuiſſet vnquam; vt vexilla belli-
ibus inuolutum ſe ab infantia ſic tanquam
libus faſciis meminerat, exueret, vt arma
idem victricia, quæ tractatione ſui vix
m interruptâ, & vſu quotidiano in ipſam
naturam tranſierant, deponeret; poſtre-
vt ab ea ſe exercitatione ſeiungeret, quæ
Ludouico nata, cum eodem adulta, non
m eodem moritura videbatur eſſe. Niſi
am Ludouicus (videte quò progrediar)
pluris æſtimaſſet, an vnquam ſe illius ob
e cauſa, eò vſque viciſſet, vt ad condi-
pacis, & quidem pacis, in qua conficien-
ſibi fore negocij quàm in referenda de
is victoria non ignorabat, vitro de-
et, vel hoc ipſo tempore quo pacem
ex ſeſe bellicoſa & proſperis aliunde
ibus erecta diſſuadebat. Non equidem
or, quin omnino præclarè quanti Ra-
faceret Iacob oſtenderit, cùm ſibi
iquod in eam maritale dominium con-

ſtare faſtidioſâ multorum annorum ſeruitute voluit: Sed nego quemquam eſſe, qui iure diffiteatur, quin & Ludouicus quàm honorificè de Tereſia ſentiret, multò declararit apertiùs, cum cùm natali relicto ſolo, vt eam ſibi coniugem adſciſceret, longiori ſe viæ & impeditiſſimæ commiſit, Galliæ remotiores oras petiit, verſatus eſt in Zona quadam torrida diu, & radiis ardentioribus exuſtus plurimum cum ſudore puluerem, non modò patienter, ſed & iucundiſſimè commiſcuit. At immiſſos à Sole non ſentiebat ignes, quem æſtus aliunde multò vehementior & idem innocens inflammabat.

Quòd ſe procul ab æde paterna ſe mouerit Iacob, non tam pulchritudo Rachelis aliqua fecit; quàm intentatæ mortis à fratre minæ; nec mirum admodum fuit, quòd eum in ſeruitutem voluntas propria redegerit, quem in exilium neceſſitas ipſa compulerat: Quòd verò Ludouicus; nullo præcipiente, cogente nullo (nec enim erat aliquis à quo ſeu legem accipere, ſeu pati vim poſſet) quòd ſponte Lutetiam deſeruerit, vrbem gentium dominam, clariſſimum huius vniuerſi lumen; nobilem artis de natura triumphum, ſedem maiorum omnium ſuorum antiquiſſimam, non tantùm Galliæ, ſed omnis Europæ veluti caput, vrbem iucunditatis hoſpitium, communem omnium propè diuitiarum theſaurum, ſummum humanæ gloriæ faſtigium, ſpecimen induſtriæ, miraculum temporis, omnis elegantiæ theatrum, totius orbis compendium: Quod aſperioribus in locis inter

præ

ruptas montium ſalebras per accliues & ri quàm amori inacceſſas rupes, iter ſibi orioſiſſimum explicarit: Quòd vnius præim Tereſiæ cauſâ, in extréma Galliæ con- tot comites abduxerit, vt & mobiles ſe trahere ciuitates videretur: Quòd annum grum in anguſtioribus oppidis quàm vt am capere maieſtatem commodè poſſent, erit: Quod cùm non paucos audiret è ſuis nimia tarditate reditus acerbè conque- es, quamquam ipſi moram illam tempo- multò quàm cæteris facere longiorem, naturaliter impatiens debuerat: quòd ne verbo quidem conqueſtus vno ſit, m accidere poſſe laborem ratus, illi plus grauem cui tam eximia Rachel, cui es tanta proponeretur: quòd hæc, & alia nus multa ſuſceperit, egerit, tolerarit, quam ſatis eſſe crediderim, vt quantum inione Ludouici momentum, quantum ia valorem habuerit, omnibus rerum ſin- eſtimatoribus innoteſcat

e, Regina, tanti Principis & amore & atione ſecuram pariter ac glorioſam; il- nore ſecuram, cuius eſt in venas transfu- a ſanguine auita fortitudo; illius æſti- ne glorioſam, qui paternæ priùs æqui- uàm Imperio ſucceſſit heres vtriúſ- nè digniſſimus. Perge porrò & quan- Reginæ Chriſtianiſſimæ gloria, nunc n ex vnanimi totius Galliæ conſenſu

niniſtis opinor illius diei, cuius memo- omnem implere memoriam debuit,

vix vt aliquid loci cæterarum rerum ſimulacris aut imaginibus relinqueret. Meminiſtis illius temporis, quo primùm hanc ciuitatem ingreſſa palam eſt Regina Chriſtianiſſ. fauſtas inter numeroſiſſimæ plebis acclamationes, multis quidem ſtipata comitibus aulicis, ſed longè pluribus ſtipanda votis, ſi quem votis locum reliquiſſet, quæ ſumma iam omnia poſſidebat. Suum ſibi in tantâ concurrentis vndequaque populi turbâ, ferè quiſque theatrum erexerat, ſed inter priuata ſingulorum theatra, erat vna propoſitum omnibus commune veluti theatrum Tereſia, commune ſpectaculum. Eminebat altiori inuecta curru, multò tamen maieſtate ſuâ quàm ſitu ſublimior: agebatur non tam à præmiſſis antrorſum equis, quàm ab impellente retrò ſpiritu populi cateruatim inſequentis. Sic trahebatur, vt omnium ad ſe ſtudia voluntatéſque traheret, tótque ſecum captiuos abduceret, quot ſui ſpectatores inuenerat: vt ingenioſè diceretur à nonnullis, cùm apertos fuiſſe ſub id tempus carceres fama diuulgaſſet: quo die Maria Tereſia vinctos omnes in libertatem aſſeruerat, eodem in vincula conieciſſe liberos.

Quàm ſuauis eſt recordatio fortunatiſſimi illius diei, quo quidem, toto penè mane Sol ipſe delituit, ſéque opacis eò vſque nubibus obduxit, dum conſidens in ſolio Regina clariſſimorum omnium ordinum obſequia ſuſcepiſſet: ſic prorſus vt luminoſum illud diadema, quo cingitur, abiciſſe eo conſilio videretur, vt illud capiti Reginæ totum imponeret, eidémque ſuum vnà cum cæteris

vecti

vectigal honoris offerret,illuſtre vectigal Ex-
cuſſis deinde nubibus multò quàm ante ſplen-
didior;ſi bene meministis, effulſit, & circum-
luctæ per vicos Reginæ, Christianiſſimi Re-
gis exemplo præiuit, non tam vt illuſtriſſi-
mam ex ſeſe maieſtatem, ſuæ claritatis acceſ-
ſione illuſtriorem faceret, quàm vt eandem
quodam veluti famulantis obſequio venera-
retur.

Ingreſſa eſt in vrbem Regina poſtridie S.
Ludouici, vt inde pateret apertiùs, quanta
muneris eiuſdem eſſet in vtroque Ludouico
concordia, cùm alter in cœlo, alter in terris,
facilem Tereſię viam veluti præuius explica-
ret, & eodem vterque præcurſoris officio fun-
geretur. Ingreſſa eſt per eam præcipuè par-
tem quæ propior occurrit orienti Soli, vt
hinc omnes quale toti Galliæ ſidus oriretur
intelligerent: Ingreſſa eſt per eum vicum, in
quo vehementiùs domeſtici quondam diſſi-
dij faces exarſerant; nuſquam enim trium-
phare glorioſiùs pacis obſes Regina potuit,
quàm in eo ipſo loco in quem aliàs inteſtini
odij vis tota conflaxerat:neq; verò ſine ſingu-
lari quâdam ſapientiſſimâque diuini Numinis
prouidentiâ contigit, vt quod D. Antonij ſub-
urbium ciuilis olim diſcordia funeſtarat, idem
id coniux Ludouici pacifica,ſeu potiùs pax
ipſa maritata, ſanctioris connubij fœdere
conſecraret.

Ingreſſa eſt in vrbem Regina eo vultu, qui
vultus obſcuraret omnes; eâ ſerenitate fron-
tium quâ conferre ſe nemo, niſi qui fron-
tis expers omnis eſſet,auderet; ingreſſa eſt eâ

vix vt aliquid loci cæterarum rerum ſimulacris aut imaginibus relinqueret. Meminiſtis illius temporis, quo primùm hanc ciuitatem ingreſſa palam eſt Regina Christianiſſ. fauſtas inter numeroſiſſimæ plebis acclamationes, multis quidem ſtipata comitibus aulicis, ſed longè pluribus ſtipanda votis, ſi quem votis locum reliquiſſet, quæ ſumma iam omnia poſſidebat. Suum ſibi in tantâ concurrentis vndequaque populi turbâ, ferè quiſque theatrum erexerat, ſed inter priuata ſingulorum theatra, erat vna propoſitum omnibus commune veluti theatrum Tereſia, commune ſpectaculum. Eminebat altiori inuecta curru, multò tamen maieſtate ſuâ quàm ſitu ſublimior: agebatur non tam à præmiſſis antrorſum equis, quàm ab impellente retrò ſpiritu populi cateruatim inſequentis. Sic trahebatur, vt omnium ad ſe ſtudia voluntatéſque traheret, tótque ſecum captiuos abduceret, quot ſui ſpectatores inuenerat: vt ingenioſè diceretur à nonnullis, cùm apertos fuiſſe ſub id tempus carceres fama diuulgaſſet: quo die Maria Tereſia vinctos omnes in libertatem aſſeruerat, eodem in vincula conieciſſe liberos.

Quàm ſuauis eſt recordatio fortunatiſſimi illius diei, quo quidem, toto penè mane Sol ipſe delituit, ſéque opacis eò vſque nubibus obduxit, dum conſidens in ſolio Regina clariſſimorum omnium ordinum obſequia ſuſcepiſſet: ſic protſus vt luminoſum illud diadema, quo cingitur, abieciſſe eo conſilio videretur, vt illud capiti Reginæ totum imponeret, eidémque ſuum vnà cum cæteris

vecti.

vectigal honoris offerret, illuſtre vectigal Excuſſis deinde nubibus multò quàm ante ſplendidior; ſi bene meminiſtis, effulſit, & circumductæ per vicos Reginæ, Chriſtianiſſimi Regis exemplo præiuit, non tam vt illuſtriſſimam ex ſeſe maieſtatem, ſuæ claritatis acceſſione illuſtriorem faceret, quàm vt eandem quodam veluti famulantis obſequio veneraretur.

Ingreſſa eſt in vrbem Regina poſtridie S. Ludouici, vt inde pateret apertiùs, quanta muneris eiuſdem eſſet in vtroque Ludouico concordia, cùm alter in cœlo, alter in terris, facilem Tereſię viam veluti præuius explicaret, & eodem vterque præcurſoris officio fungeretur. Ingreſſa eſt per eam præcipuè partem quæ propior occurrit orienti Soli, vt hinc omnes quale toti Galliæ ſidus oriretur intelligerent: Ingreſſa eſt per eum vicum, in quo vehementiùs domeſtici quondam diſſidij faces exarſerant; nuſquam enim triumphare glorioſiùs pacis obſes Regina potuit, quàm in eo ipſo loco in quem aliàs inteſtini belli vis tota conflaxerat: neq; verò ſine ſingulari quâdam ſapientiſſimáque diuini Numinis prouidentiâ contigit, vt quod D. Antonij ſuburbium ciuilis olim diſcordia funeſtarat, idem illud coniux Ludouici pacifica, ſeu potiùs pax veluti maritata, ſanctioris connubij fœdere conſecraret.

Ingreſſa eſt in vrbem Regina eo vultu, qui vultus obſcuraret omnes; eâ ſerenitate frontis cum quâ conferre ſe nemo, niſi qui frontis expers omnis eſſet, auderet; ingreſſa eſt eâ

corporis compoſitione, quæ Reginam nullo quamuis indicante, proderet ipſa per ſeſe, tantæ maieſtatis interpres muta; ingreſſa eſt eâ dignitate formæ, quæ ſic omnium in ſe cõuertit oculos, ſic omnium vnà aſpectus exhauſit, vt in tanto nobilitatis Gallicæ quâ cingebatur vtrimque comitatu penè ſolitaria videretur eſſe; denique ſic ingreſſa eſt vt ingrederetur vltima, agménque totum clauderet; vltimam enim illam videri neceſſe fuit, quâ viſâ nihil vltra ſupereſſe videndum poterat.

Ingredientem excepere certatim huius vrbis incolæ, & dum pacifica poſitis armis militia quieſcebat, facta eſt in armatis ciuibus pax, vt ita dicam, ipſa militaris. Quanta tum fuit rerum expectatio! quàm ingens omnium ordinum alacritas, ſtudium mirificum, concurſus incredibilis, dubium vt eſſet an hæc in Galliâ ciuitas, an omnis in hâc ciuitate Gallia contineretur! Cæterum in illa populi multitudine confertiſſimâ, nulla vox audiebatur prætereuntre Reginâ, tum quia vocem omnem intercluſerat admiratio, tum quia maior opinio prætereuntis erat, quàm vt exprimi dicendo poſſet: ſed hæc ipſa loquendi deſperatio, expreſſum illud à neceſſitate ſilentium, ſapientibus & bene rem æſtimantibus viris vox altiſſima videbatur eſſe: quæ quidem quàm honorificè de Tereſia plebs tota ſentiret, tantò declarabat apertiùs, quantò clariùs id ipſum declarari nullo pacto poſſe, tacendo confitebatur.

Hìc ego temperare mihi non poſſum, nec vt poſſim debeo: quin & fidei tuæ, ſimul & feli

felicitati, Lutetia, gratuler; fidei, quam integram diffiteri nemo qui ſit integer poteſt; ſidei, quæ quidem tanta in æſtimatione Ludouici fuit, vt illi non modò ſe totum, ſed & chariſſimam coniugem ſuam, atque adeò ipſius Galliæ fortunam omnem tum crediderit, cùm in illâ triumphali pompâ, quâ nuper ad nos acceſſit, non aliud ſibi per vicos equitanti eſſe præſidium voluit, quàm quod à Pariſinorum ciuium aut corporibus, aut armis obiiceretur. Quid porrò quid tibi cõtingere beatius, Lutetia, poterat, quàm vt eâ pacatè Reginâ potireris, quam ſibi Rex tantus tantâ bellorum itinerúmque defatigatione conquiſiuit; cuius tale támque ingens eſt pretium, vt in poſſeſſione illius vnâ; vota Regis omnia, &, quod maximæ commendationis eſt caput, vota Ludouici cumulata conquieſcant?

Noli Pax Gallica noli deinceps iactare plus æquo multitudinem vrbium, quas amplo ſ... tis ex ſeſe Galliæ regno nuper adiunxiſti, non habes vnde tuam ſuperbè fortunam oſtentes, quòd eas ex conuento ciuitates acceperis, de quibus, aut amiſſis, aut ereptis, aut ſponte conceſſis, vix habet hoſtis vnde doleat. Ingens Hiſpania corpus erat; partem illius aliquam, ne nimio pedes onere grauarentur, abſtuliſti: at hoc ipſum qualecumque demum fuerit quòd illi detraxiſti, non tam expreſſus è medullâ ſuccus fuit, quàm emuncta quædam ex adipatâ nimium craſſitie pinguitudo: quod humorum exſuperantiâ corpus laborabat, feciſti ſublatâ illa nimietate purgatius. Cùm ſuas

Hiſpanus vrbes dedit, dedit ea profectò qui-bus abundabat, quæque ſibi affluentioris co-piâ iam propè viluerant; cùm autem Tere-ſiam in deliciis vnicam haberet, cùm in cha-riſſima illa ſobole ſua nihil quidquam pater ſapientiſſimus, niſi quod ſingulare totum eſſet videret, honorificentiùs conſulere intra pro Gallia paci non potuit, quàm cùm illi hoc ip-ſum quod pretioſius habebat adiecit.

Glorioſum eſt tibi, LVDOVICE, quòd bella domeſtica compoſueris, quòd peregrina, glo-rioſius, nec enim arduum aut difficile admo-dum erat reuocare ſubditos ad concordiam, iam ab ipſa natura conciliatos; ſed vt ab ho-ſtibus diligeteris conſequi, opus erat eiuſmodi, de quo perficiendo deſperandum alteri cui-piam eſſet quàm tibi. Glorioſum eſt, LVDOVI-CE, quòd Hiſpaniæ partem aliquã in poteſta-tem tuam vis bellica redegerit; quòd autem tibi omnem Hiſpaniam amor ipſe ſubiecerit, longè glorioſius; vrbes expugnaſſe roboris fuit quo ſæpè ſummo fruuntur homines etiam improbi; ſed hoſtium expugnaſſe voluntates ac ſtudia, nonniſi ſummè amabilis, & illecebroſiſ-ſimæ tuæ virtutis fuit: quid poſſes alterum, al-terum quid merereris oſtendit. Denique glo-rioſum eſt Galliæ, quòd ſe longiùs in Hiſpa-niam effuderit; quòd verò Tereſiam, quòd to-tius Hiſpaniæ compendium in ſe traduxerit, multò glorioſius.

Itaque cùm eò ſit pax illuſtrior ad gloriam, quò maius aliquid ac pretioſius, accipimus ab eo quocum paciſcimur, cúmque id pactione vbpertimâ conſecuti ſimus, vt ea nobis non

tam

tam ex belli, quàm ex amicitiæ iure cederet, cui plurimùm eſſet ſuprà quàm cogitari poteſt, tum in ipſa re, tum in opinione Ludouici, tum in communi Galliæ ſenſu valoris ac pretij, planè ſequitur quod efficere in hac prima orationis meæ parte volebam vnum, à regalibus Mariæ Tereſiæ nuptiis pacem toti Galliæ glorioſiſſimam extitiſſe.

Reliquum eſt, vt quantum ab iiſdem firmitatis acceperit, quæ pars eſt inſtituti ſermonis altera, paulò compendioſiùs dicam: quod antequam facio, non poſſum, Regina mater, quin hoc præſertim loco notiſſimam illam toti Galliæ conſtantiam animi tui prædicem, quæ quidem ad firmitatem pacis, cuius effectrix fuit, arguendam ſatis vna mihi videtur eſſe. Sed neque facere poſſum, quin & ſinceras Maieſtati tuæ grates habeam, quæ quo partu Regem Chriſtianiſſimum, eodem toti regno pacem, religioni cultum, templis honorem; ſecuritatem populis, tutelam innocentiæ ſingularem genuiſti. Quid quod nondum tibi ſatis quòd Regem peperiſſes fuit, ni Reginam præterea parères; illum in vtero, hanc in templo concepiſti; illum inter dolores corporis, hanc inter ſanctiora aſpirantis ad cælum animi deliquia. Fuit alterius obſtetrix natura, alterius pietas; atque vt eras & Regina, & Chriſtianiſſima Regina, ſua debebatur vtrique titulo fœcunditas. conceſſa eſt vtrique ſua; Ludouicum vt Regina, Mariam Tereſiam vt Chriſtianiſſima peperiſti: O pietas Annæ fœcunda, quæ coniugem Ludouico genuit, Galliæ Reginam! felices Annæ preces,

quæ talem orbi Chriſtiano tantámque Mariam procreauerunt! Quantum fidei, quantum ſpei, quantum charitati tuæ debeamus, Regina mater, exprimere dicendo nemo poteſt niſi qui cogitatione complecti poſſit, quid Ludouicus, quid ſancita pax, quid adiuncta vtrique Tereſia valeat: accenſos vbique bellorum ignes vehementiori, quo feruebas tota charitatis æſtu reſtinxiſti: molem expectatæ felicitatis arduam quæ deſperationem alteri cuipiam inieciſſet, ſpei tuæ magnitudine ſuperaſti: obductam vndequaque impedito per ſeſe negotio caliginem, fidei tuæ maiori obſcuritate viciſti. Sed ita (Criſt. Regina) corroboratas illas in te virtutes habuiſti, vt eaſdem reſidere noſtris in mentibus, aut à nobis exerceri vix vltrà patereris: nullum enim fidei noſtræ locum permiſiſti, cùm id effeceris quod longè ſupra fidem omnem erat: nullum ſpei conceſſiſti; cùm enim & regno Ludouicum, & Ludouico pacem, & regales paci nuptias adiunxiſti, ſic fruenda nobis omnia dediſti, vix vt aliquid amplius quod ſperare fas eſſet haberemus. Sed nec vlteriorem amori noſtro locum reliquiſti, ſiquidem in illo tuo Ludouici, pacis, ac Tereſiæ partu tam præclarè merita de nobis es, vt & ipſum vnicuique noſtrûm vlteriùs amandi facultatem eripueris, quam vna totam occupaſti. Breuiùs dico: adeò fuit opus incredibile quod abſoluiſti, vt fidem omnem vicerit; adeò ſummum illud quod in nos contuliſti bonum, vt ſpe maius noſtra fuerit; adeò denique liberalitas in nos tua ſingulariter amabilis, vt amo-

tem vna omnem exhauſerit.

Sed ne totum cum amore noſtro ſermonem exhauriat, eòdem vnde paulum oratio deflexerat reuertor, & dico, tametſi Galliam inter & Hiſpaniam ſancita pax firma fuerit ex ſeſe, factam illam eſſe nihilominus ab adiuncta Ludouico Regina Chriſtianiſſima longè firmiorem. Quàm firma fuerit ex ſeſe ſatis inde patet, quòd autorem ſui primarium, eum ipſum habuerit, cuius vt diuina ſic immortalia ſint opera neceſſe eſt. Quis enim pacem illam extitiſſe à Deo neget, quam renouati toties populi gemitus, quam quotidianæ ſanctiorum hominum preces, quam conſtantiſſima pariter, & ardentiſſima, quod rarum fœdus eſt, vota Reginæ matris obtinuerunt; cuius & adminiſter Cardinalis Eminentiſſimus, & artifex Adeodatus, & ſummus Eccleſiæ Pontifex, primùm ſuaſor, mox impulſor, poſtremùm & approbator fuit?

Præterea cùm in omnibus vbique terrarum locis accenſæ belli faces arderent, niſi pax omnis orta ſit è cælo, non video qua tandem naſci è regione potuerit; an è propiori fortaſſis Anglia, quæ tum præſertim domeſticis lacerata factionibus laborabat? an è Polonia, Sueuia, Dania, quæ magnis in ſeſe viribus armatæ contendebant maioribus odiis? An è Germania, an ex Hollandia, cuius vtriuſque perpetuus in eo labor erat, vt bellum toto paſſim orbe circumferrent? Hanc nobis afferre pacem in Europæ facultate non fuit, quæ militari cruentata ferro; quæ conciſa vulneribus, quæ diſtracta, quæ diuiſa omnis erat. Sed neque

que

que pacem è ſinu ſuo profudit Aſia, quam etſi aduectam aliunde ſuſcepiſſet, iam dudum Tartarorum inter ac Sinarum oppoſitas acies oppreſſiſſet. Euocari pax ex Africa non poterat, quæ quidem vt torrida ferè tota ſit, ardentiores tamen æſtus à bello quàm à Sole patiebatur. Denique non expectandum fuit, vt è remotioribus Americæ plagis pax oriretur, cùm illa terrarum pars vltima quot hoſpitia, quot oppida recentioribus coloniis aperit, tot ipſi, vt ita dicam, Marti pugnas explicet. Quid aliud extremùm reſtat, niſi, vt quæ naſci pax è terra non potuit, è cœlo nata dicatur eſſe?

Quod idem vt & fidei magis exploratæ ſit, facit vtique regalis coniugij cœleſte vinculum, quo quidem vno tenaciter adeò conſtricta pax eſt, vt nexus illius abrumpere non modò nulla vis humana poſſit, ſed nec illa ipſa quæ vulgò iactatur eſſe rerum humanarum domina fortuna: cùm enim religio, quo fœdere Tereſiam Ludouico, eodem toti Galliæ pacem aſtrinxerit, haud facile futurum reor, vel vt aliquando quod Deus coniunxit, homo ſeparet; vel vt quod ipſa religio religauit, fortuna diſiungat.

Adde quòd initiam pacem non tam humanam à regalibus nuptiis effectam eſſe, quàm diuinam, diuina illa quæ regales nuptias vel conſecuta iam ſunt effecta, vel deinde conſecutura non obſcurè declarant. Tres potiſſimùm ſui capitales hoſtes religio numerat, impios, hæreticos, & qui trito iam apud omnes nomine, quamquam haud ita Latino

dicunt

dicuntur, infideles. Impios à religione peccatum, hæreticos doctrina, infideles ignorantia ſeparat: cor ipſum religionis ab impio petitur, quippe qui ſanctiora diuinæ charitatis iura violat: caput ab hæretico, cuius à ſummo Pontifice pertinaciter auerſa mens eſt; totum corpus ab infideli, nihil enim habet hic cum religione commercij religionis omnis expers. Atqui dum Regi Chriſtianiſſimo nupſit Chriſtianiſſima Regina, tantùm religioni virium & autoritatis dedit, vt nullo ferè negotio de oppoſitâ ſibi factione illa triplici triumpharet.

Ac primò quidem vt impietatem religio ſuperaret, fecit; nec ſemel auditus eſt Ludoicus cùm poſt adiunctam ſibi Tereſiam diceret totum ſe deinceps in eo futurum, vt ab omni quoadusque poſſet impiorum hominum fæce aulam omnem expurgaret. Et verò ex quo Tereſiam cum Ludouico, hoc eſt ex quo pietatem cum Maieſtate coniunctam vidimus: quis in aula tam imprudenter impius eſſe imposterum audeat, vt iura pietatis infringat, cuius violatæ reus eſſe nemo poteſt, niſi qui ſit idem violatæ Maieſtatis reus?

Quid quod ab eodem regali coniugio fomes impietatis hæreſis, aut certè comes ſic omnis oppreſſa iacuit, vt quæ non ita pridem ſupercilio minaciter erecto terrebat omnes: eò nunc denique redacta ſit, vt ſe non vltrà voce, quod eſſet audacius, ſed auſtera dumtaxat aliqua taciturnitate defendat: at illa noſtris præſertim temporibus affecta putidiuſculè & malè perſonata modeſtia, quamquam impe-

imperitorum oculis inani laruâ virtutis illudat,tamen ab hominibus rerum veritatem propiùs intuentibus ſatis agnoſcitur, non tam ſolidæ virtutis argumentum eſſe, quàm verecundæ cuiuſdam ſuperbiæ de retecta deformitate ſua ſic erubeſcentis, vt aſpicere neminem audeat, quæ nihil magis ipſa quàm vt aſpiciatur, timet, Nihil accidere peius nouellæ cuidam iuniorum Caluiniſtarum ſectæ poterat, quàm quod nuper obtigit, vt vnius fœdere coniugij omnis ferè Chriſtiana religio iungeretur, ídque quod dico ita eſſe vt dico, & abundè noſtris omnes quotquot hîc adeſtis, & ij ipſi de quibus agitur hoc loco vacillando confirmant, deliteſſendo produnt, ſilendo confitentur.

Denique nuptialis iſta quam prædico Reginæ Chriſtianiſſimæ tæda, omnis idololatriæ quædam quaſi tæda funebris, aut iam fuit, aut mox erit. Time Conſtantinopolis, ſuperſtitio time,timete cultores idolorum. Verum enimverò, aut vos è veſtris ſedibus, aut omnem Ludouicus idolatriam expellat oportet, quid ita? quia nupſit Tereſia Ludouico, iuncta eſt Hiſpaniæ Gallia, ſanguis Chriſtianiſſimus factus eſt Catholicus,vbique dominetur neceſſe eſt.Quòd ſi regales nuptiæ non modò pacem, ſed & religionem ipſam ſanctitate ſua quodammodo conſecrarunt,auctiorémque fecere,illud profectò conſequens eſt, vt quemadmodum ſanctior à coniugio fuit, diuiniórque pax, ita firmior ab eodem, & ad diuturnitatem longè ſtabilior extitiſſe dicatur.

Neque tamen idcirco putem detractum à me

me leue quidpiam eſſe de tua gloria (Card. Eminentiſ.) cùm pacis ad Pyrenæos montes initæ firmitudinem , in illius autorem Deum & refundi poſſe & debere dixi;immo verò ſummum illud meâ quidem ſententiâ commendationis tuæ caput eſt , quòd cùm operis planè diuini te penes eſſet omnis procuratio, tam ſolers in agendo diſpenſator extiteris, vt illud prudenter admodum , & cautè ſuſciperes fortiter inchoares , operoſè promoueres, conſtanter abſolueres. Quòd apud Regem Chriſtianiſſimum ſanè plurimum gratiâ poſſis,graculétur ij præſertim, quibus eſt aut eſſe poteſt ſalutaris illa quæſtuoſáque gratia , gratulentur aulici quòd affinitatem tuam , quòd amicitiam , quòd familiaritatem viri principes ambiant : gratulentur iidem quòd ex arbitrio nutúque tuo ferè pendentem Europam habeas. Et verò magna quidem illa ſunt , ſi quid eſſe magnum rebus in humanis poteſt, ſed hoc ipſo tamen , quòd aut intra temporis anguſtiores compacta metas hærent,aut in illa verſatili, quam vocant, fortunæ rota non niſi difficulter & ægrè conſiſtunt , nihil vel æterna ſæpè , vel diuina cogitanti facilè vileſcant neceſſe eſt.

Quandiu tuæ laudes (Card. Em.) aut ex autoritate ſuſpenſæ , quâ potes apud Ludouicum omnia , aut ex publicis aulæ gratulationibus repetitæ , aut implicitæ cum fortuna fuerunt, ſilui, ne magis aſſentator Aulicus viderer eſſe , quàm religioſus : ſed ex quo rem planè diuinam in firmanda pace , iungendaque Ludouico Tereſia confeciſti , ex quo vnius

nius & eiuſdem operis alterum te quaſi ſocium ſibi Deus adiunxit ; tùm verò commendatio nominis tui cum ipſa Diuinę Maieſtatis gloria tantùm connexionis ac neceſſitudinis habuit, vt à tuis poſthac laudibus abſtinere nefas eſſe quodam modo videretur. Et verò ſi pietas, ſi religio præcipit, quemadmodum profectò præcipit, vt eos omni cultu, obſeruantiáque proſequamur, quibus aliquando miniſtris vſus eſt Deus ad ea, quæ ſupra naturæ poteſtatem omnem ſunt perpetranda : quis neget colendum à nobis eſſe ; quàm impensè poterimus, cum ipſum, cuius artem omnem ac operam ſibi Deus adiunxit in opere conficiendo, quod quidem negare, quin longè ſupra hominem fuerit, nemo poteſt, niſi qui totus infra hominem ſit?

Perge, LVDOVICE, perge; & quam Eminentiſſimo Cardinali apud te gratiam, quam autoritatem prudenter admodum, conſultéque tribuiſti, tenaciſſimè conſerua. Numquam agere ſapientiùs potuiſti numquam ſecuriùs, quàm cùm rem omnem tuam illius Prouidentiæ credidiſti, cui ſuam Deus ipſe commiſit : facilè diſpenſare humana negotia potuerit, qui diuina tam prudenter abſoluit: ſit ille, vt hactenus fuit, Regiæ tuæ poteſtatis adminiſter, qui factus eſt diuinæ. Atque illud quidem, ſingula paulùm attentiùs expendenti mihi, non tam fuiſſe ſeu fortunæ, ſeu gratiæ viſum eſt, quàm aut iuſtitiæ, aut ſapientiſſimi cuiuſdam conſilij: quod is electus à Deo ſit pacis publicæ procurator, qui priuatæ cum vnoquoque retinendæ, ſemper ſtudioſiſſimus

ſimus excitarat;qui grauiora toties exorta diſſidia ſiuſt peregrina,ſiue domeſtica compoſuerat;qui quot habuerat commiſſas arbitrio ſuo lites,tot diremerat.

Natus eras orbi componendo (Cardinalis Eminentiſſime) qui nunquam priuatus iniurias vlciſci, vt maximè potueris, voluiſti; qui manſuetudine tuâ multò plures, quàm cæteri ferro, hoſtes exarmaſti;cuius purpura nullam effuſo ſanguini coloris ſui partem debet; cuius memoria, tametſi capaciſſima cæteroquin omnium propè rerum,ne minimum quidem hactenus,illatæ ſibi à quoquam offenſæ locum reliquit. Sed quàm æquitati conſentaneum erat, vt indoli tuæ tam pacificæ pax diſpenſanda crederetur, tam illud iniquum fuiſſe primo quidem aſpectu videretur, cùm ſuauiſſima pax nobis omnibus acciderit, hanc ipſam tibi vni turbulentam, operoſam, pleniſſimámque moleſtiarum extitiſſe. Sic enim in ea conficienda deſudaſti; vt hinc debilitato corpore, exhauſtiſque viribus parum abfuerit cùm oppreſſa ſub operis tanti mole natura tua ſuccumberet,quin imprudentiore fato, paulò poſt tuum in vrbem reditum, paci,pacis ipſius autor eripereris.

Quanquam & hoc ipſum vbi propiori mentis acie contemplor,facilè crediderim non tam alicui fatorum imprudentiæ vertendum fuiſſe, quàm ſingulari prouidentiæ ſupremi numinis, & ſuæ gloriæ conſulentis,& tuæ:ſuæ quidem, cùm affigi te lecto voluit, vrgeri morbo, & humanitùs aliquid pati, ne qui particeps eiuſdem cum Deo muneris acceſſeras, eiuſdem quoque cum illo particeps immortalitatis ha-

bereris;tuæ verò, cùm te ſummâ virium defe- ctione laborantem penè ad extrema redigi deliquia voluit, vt ex contractæ defatigationis,ægritudiniſque magnitudine, quantam in opere diuino laboris partem ſuſcepiſſes, faciliùs intelligeretur.

Quandiu verſatus es in procuranda pace, Card. Em.) nullâ teneri grauiora inualetudine potuiſti, quia tum diuinam potiùs agere perſonam,quàm humanam videbare : ſed ægrotare deinde poſt tantum illud opus impletum debuiſti, vt homo agnoſcereris eſſe. Veriùs dixerim : cùm id feciſſes, quod longè ſupra hominem erat, mirum eſſe nemini debuit,quòd nihil propius fuerit, quàm vt totus in te homo deficeret. Cæterùm quod mihi cum felicitate Galliæ, cum dignitate religionis,cum tranquillitate totius Europæ cohærentiam habere maximam videtur : vnum hoc à te, procurator boni communis, efflagito, vt, qui pacem tam bene ab omni parte prouiſam, adeóque firmiter eſſe munitam voluiſti, tuam deinceps vnâ cum pace valetudinem confirmes. Nec enim video, quid habere pax noſtra poſſit, vnde firmitati ſuæ gratuletur, quandiu te, cui partem ſui maximam debet,infirmum viderit Si nos itaque,ſi gentem tuis auctiorem beneficiis,ſi Regem Chriſtianiſſimum amas, (vt amas profectò plurimùm(adeò ſalutarem toti Galliæ vitam quàm longè poteris, extende:idque cogita, multò quàm par eſt, moriturum eſſe te præcipitantiùs, quantumcumque ſenex moriare. Gloriæ quidem vixiſti ſatis, qui gloriæ metam vlti-

mam attigiſti;ſed nondum Galliæ ſatis, quam cùm hactenus militari laude florentem præſtiteris, reliquum eſt, vt & eandem pacis quoque laude florentiſſimam efficias. Atque vt proli vix bene in lucem editæ nihil quidquam accidere deterius poteſt, quàm ſi patre ſuo, priuſquam ematuruerit, orbetur: ita paci paucis abhinc menſibus exortæ, haud equidem ſcio, an euenire funeſtius aliquid poſſit, quàm ſi te, quem alterum ſui veluti parentem agnoſcit, repentè caruerit. Tuum eſt (Card. Eminent.) iuniori illius ætati moderari ſapienter, dum tandem ſucceſſu temporis magis atque magis in dies confirmata Pax, eóque robuſtior, quò ſenior, primò pacificam tibi ſenectutem, pacificam deinde mortem afferat.

Sed vt agam preſſiùs, & quantùm à regalibus nuptiis Pax ipſa firmitatis acceperit, paucioribus oſtendam:ſic habetote. Quemadmodum, ſi Philoſopho credimus, eſſe diuturnum nihil, idémque violentum poteſt: ita quò minus habet aliquid violentiæ,eò plus idipſum ſtabilitatis habeat oportet. Nihil autem eſt, quod magis opponatur violento, quàm quòd ab amore naſcitur: amor quippe, volentis eſt; violentia, reluctantis, & inuiti: vnde conficitur, ex quo paci maritalis amor acceſſit, fieri non poſſe, quin illa tanto longius in tempus duret, tantò firmior conſiſtat, quantò minus retinet cum violento commercij, quantò validiori nexu cum ipſa voluntate conſtringitur. Cùm enim tantarum virium ſit amor, vt & ea plerumque ſtabili communione iungat,

quæ

quæ maximè diſſita, non facilè conſociantur: ſi quando cum pace, quæ tam eſt amina cōniunctionis, quàm ſui, idem ille cohæſerit; quis non certiſſimè futurum putet, vt illam amoris cum pace cohærentiam firmitudo pacis maxima conſequatur?

Quod ipſum vt explicetur apertiùs, & omnium oculis faciliori quadam veritatis exprimendæ methodo ſubiiciatur: memineritis in hac mortali vita triplicem eſſe poſſe firmandi fœderis viam; alteram, quæ à natura petitur; alteram, quæ ab arte; quæ demum à Diuini largitione muneris, vltimam: naturam habemus à parentibus, artem à nobis, religionem à Deo: hominem natura conſtituit, ars expolit, religio cumulat: prima firmæ coniunctionis artifex eſt natura; eiuſdem conſeruatrix, induſtria; religio, complementum. Atqui ſuam habet ab illo tripliçi capite firmitatem pacta cum Hiſpanis nuperrimè conſociatio. Primùm enim ab ipſa natura ſtringitur, quæ Hiſpanum in Ludouico ſanguinem vnà cum Gallico permiſcuit: deinde inchoatam à natura vtriuſque Regni ſocietatem vt ars eiuſdem operis æmula firmiùs annecteret, nihil induſtriæ prætermiſit ingenio Cardinalis eminentior, quàm dignitate. Vltimum denique toti catenæ annulum impoſuit, qui diſſolui ſine ſacrilegio non poteſt, regalis coniugij religio ſanctiſſima. Mentem explico, rémque totam, ne patientiâ veſtrâ intemperantiùs abutar, expedio.

Cùm hoc aſſequi, nulla vis aut impietatis aut inuidiæ, quantumcumque niteretur, potuiſſet,

tuiſſet,vt ne Chriſtianiſſimus Adeodati ſanguis eſſet:id ſaltem, quod vnum potuit, effecit, vti Gallos ab Hiſpanis, iniectis vtrinque belli fa. cibus abalienaret, ne Catholicus idem videretur eſſe ſanguis, qui iam aliunde Chriſtianiſſimus erat. Sed cùm Ludouicus & ſanguinem à patre Chriſtianiſſimum hauſiſſet,& à Regina matre Catholicum: prohiberi nullo pacto potuit, quominus eidem naturæ vinculo, quo Galliam in ſeſe vnà cum Hiſpania colligarat, primùm pacis, deinde coniugij vinculum, quod vnum deſiderabatur, adiiceret. Quòd ſi funiculus triplex difficilè rumpitur, quibus tandem arbitramini frangi conatibus poſſe pactam cum Hiſpanis amicitiæ ſocietatem? cùm eam & in Ludouico natura conſtrinxerit, & ars in pace confirmarit, & in ſanctiori regalis coniugii fœdere religio demum ipſa conſecrauerit. O bene compactam, munitámque pacem! quam natura firmam fecit, firmiorem induſtria, nuptialis eiuſdem veluti conſecratio firmiſſimam. O pacem nullâ temporis edacitate corrodendam! quæ nec violari ab humana libertate poteſt, quia naturæ neceſſitate conſtringitur; nec ab arte diſſolui; cùm artis ipſa ſpecimen ſit, omníque maior induſtria;ſed ne infringi quidem à Deo, cui ſe pro vinculo Deus ipſe dedit.

Id quidem præſtare ſolitaria Pax,& ab omni nuptiarum fœdere ſecluſa potuiſſet, vt Gal. lorum & Hiſpanorum animos. quos oppoſitas in partes obſtinata belli diſcordia traxerat, arctioris inter ſe amicitiæ nexu conciliaret. Sed cùm totius hominis natura corpore pariter,

ac

ac ſpiritu contineatur, quò tota conſtringatur arctiùs, ſua ſint oportet vtrique vincula, ſocietas vtrique ſua, nexus alteri pax fuit, nuptialis alteri thalamus. Hoc eſt, vt Galliæ ſimul, & Hiſpaniæ ſpiritus vnus, vna mens eſſet, efficere pacis erat: vt ex eodem vtraque veluti corpore conflaretur, coniugij.

Præterea cùm omnis firmitudo pacis in eo maximè ſita ſit, vt illius abrumpendæ, aut nunquam poteſtas adſit, aut nunquam voluntas: manca illa ſanè mutiláque fuiſſet, niſi abſolutionem à Regina Chriſtianiſſima ſuam accepiſſet. Nam ita pepigiſſe cum Hiſpano videbamur, vt illi poteſtas inferendi belli, nobis autem voluntas eriperetur. Inferendi belli poteſtatem tum ſibi Hiſpanus eripuit, cúm ea Gallis oppida, ea ſanè propugnacula conceſſit, quæ non aliis expugnari viribus, quàm Gallicis poſſent: nobis autem omnem belli cum Hiſpania ſuſcipiendi tum maximè voluntatem abſtulit, cùm Tereſiam Regi Chriſtianiſſimo coniugem, Galliæ Reginam dedit. Itaque ne prouocari deinceps ab hoſte poſſimus, munimenta prohibent, quibus tegimur: ne prouocare velimus hoſtem, Tereſia pluſquam ſatis vel vna prohibet. O pacem omni firmitatę firmiorem, quæ turbari neque nobis inuitis, neque volentibus poteſt! inuitis non poteſt, ſiquidem illius turbandæ facultatem adimunt inacceſſa bello mœnia, quibus cingimur; volentibus non poteſt, nec enim intelligo, fieri quî poſſit, vt iterum tractare velimus arma, quandiu Tereſiam pacis obſidem, dignum illud immortalitate pignus, vſurpamus

mus oculis, fouemus hoſpitio, & totis quodammodo pectoribus complectimur.

Denique ſi nullius connubij fœdere aſtrictam toti Galliæ pacem habuiſſemus: non eſt credibile, facile futurum, vti longiùs eorum vltra vitam, à quibus erat inſtituta, protraheretur. Neque verò, ſi quid aſſequi coniiciendo licet, fieri tum potuiſſe crediderim, quin & illa deficeret, manibus iis fatorum neceſſitate deficientibus, à quibus conſtricta ſtabilitatem omnem acceperat. Sed ex quo pacem nuptialis præterea thalamus excepit: nego quemquam eſſe, qui iure dubitet, quin quos ex Regina Chriſtianiſſima ſuſcepturus eſt aliquando filios Ludouicus, ſtudioſiſſimi futuri ſint conſeruandæ pacis, cùm ab ea ſe totos extitiſſe meminerint. Atque vt ab eandem vnumquodque cauſa conſeruatur, à qua primò productum eſt, nihil facere conſultiùs potuerunt: quàm ſi, qui ſuam à pace vitam, qui nomen, qui dignitatem acceperunt, eandem quoq; pacis ipſius beneficio conſeruent. Sic nempe, ſic maritari pacem oportuit, vt illa poſtquam conſenuiſſet, in ſuſceptis deinde nepotibus renouaretur, quodammodo repueraſceret, atque ita quandam ſui velut immortalitatem indueret.

O te, Ludouice! nunquam Reip. Chriſtianæ, nunquam Galliæ, nunquam pacis amantiorem, quàm cùm vnicè Mariam Tereſiam amaſti. Cætera plerumque regna Principum malè conſultus amor euertit; idque, ſi bene præterita meminimus, fateamur neceſſe eſt accidiſſe non rarò; vt qui ſubiectos ditioni

ſuæ populos, fortiter animoſéque pugnando defenderant, eos iidem ignauè nimis, ac molliter amando profligauerint. Atque illud quidem quòd ita contigerit, adeò nôn arbitror mirum videri cuiquam oportere, vt potiùs ſi ſecùs aliquid obtigiſſet, idipſum exiſtimarem admirabilitatis habere ſanè plurimùm. Cùm enim his potiſſimùm quatuor adminiculis imperia nitantur, fortitudine, quæ bella conficiat; prudentiâ, quæ pacem adminiſtret; magnis opibus, & autoritate quadam plenâ maieſtatis: quæ tum nerui militiæ, tum pacis ornamenta ſint: nihil procliue magis eſt, quàm vt ampliſſima quæque regna amoris libido labefactet: ſi quidem nec benè robuſtus amor eſt, idem qui puer; nec ſatis prudens, qui cæcus; nec diues admodum, qui nudus; nec autoritatis alienæ facilè patiens, qui retinentiſſimus eſt ſuæ. Sed hæc, & alia id genus multa prætereo, quæ quidem ſi quis eſt, qui putet ſentētiosè magis à me dici poſſe, quam verè, is & recentioris Hiſtoriæ faſtos omnes, & antiquorum temporum annales euoluat: méque nullius fidei hominem appellet; niſi ex illa ſæculorum omnium memoria cognouerit, nulla re magis quàm amore præſertim muliebri, debilitata regna tandemque oppreſſa cecidiſſe.

Tui propemodum vnius eſt, Rex vbique Chriſtianiſſime, tum ſapere; cùm amas, conflare tibi ex veneno remedium, & pleniſſimum tranquillitatis portum ibidem ſtatuere: vbi nihil vnquam cæteri, aut certè vix vnquam aliquid aliud, præter miſerabile tuum priuatæ

rei

tū, tum publicę naufragium inuenerunt. Quid multa? qui quondam profanus, qui ſacrilegus, qui turpis, & obſcœnus, qui diſcordiarum omnium incentor amor pene in omnibus retro Principibus fuit, idem in te velut conſecratus, vt ampliorem paci gloriam, ſic & firmitatem (quod vtrumque hac oratione demonſtratum eſt) eidem attulit ſempiternam.

Quid iam eſt reliquum, Ludouice, niſi vt orem obteſtérque te vehementiùs, ne tam duriter agas ipſe tecum, vt particeps nolis eſſe pacis, cuius autor extitiſti. Pax nulla ſit, quam non experiare: nulla ſiquidem fuit, quam optantibus nobis aliquando non attuleris. Alios audiui, alios memini, qui priuata ſubditorum iurgia; alios, qui nata ab hæreticis bella; alios, qui domeſtica; alios, qui peregrina ſedauerint: ſed qui, quod intra paucos annos abſoluiſti, toto vitæ ſuæ decurſu fecerit; qui ſingularia certamina repreſſerit; qui vexatæ religioni quietem ereptam reſtituerit; qui mores antè perturbatiſſimos ad vnius eiuſdémque Chriſtianæ religionis concordiam reuocarit; qui tum inteſtina, tum externa diſſidia compeſcuerit, habemus, Ludouice, quem ſciam, præter te, neminem. Suſtuliſti perniciosiſſima illa, quæ vocant duella publicis edictis? factiones impietatis oppreſſiſti; priuatis exemplis; turbas à recentioribus noſtri temporis hæreticis excitatas, & Innocentij decimi, & Alexandri ſeptimi vſus autoritate tranquillaſti: contentiones denique domeſticas ſingulari manſuetudine tua diremiſti, fortitudine peregrinas.

Nullum eſt, ne iam plura dicam, belli genus, in quo te nõ tam fortuna Reip. quàm peculiaris quędam prouidentia diuini Numinis exercuerit; vt tantò meliori iure Rex Pacificus & appellareris, & eſſes; quantò bella ſpecie diſſimiliora, deteriora grauitate, numero plura, mole maiora compoſuiſſes. Quieſce nunc tandem pro iure tuo; ius enim profecto ſingulare percipiendæ quietis habet is ipſe, per quem effectum eſt, vt motus omnes vbique cohiberentur. Tandem tibi pacificus eſto, qui toti pacificus orbi iam fuiſti.

Talem te, tantúmque natura finxit, tuam vt capere magnitudiné non alia ciuitas quàm hæc noſtra poſſit. En tibi dilectiſſima Lutetia tua; à qua te toties belli ſeu gerendi, ſeu componendi neceſſitas abſtraxit, ſtabile nunc demum hoſpitium aperit; quo præſertim in vno tot partâ ſudoribus gloriâ pacatè perfruaris. Si longiorum itinerum defatigatione vires exhauſtas, ſi debilitatam reſtaurare valetudinem volueris; nullus ſalubrior, quàm qui natalis eſt aër. Si te deinceps vnius potiſſimum ſapientiæ ſtudium delectat: vt qui cum Salomone iam pacificus, cum eodem quoque ſapientiſſimus habeare: non intelligo, vbi contineri meliùs ſapientia poſſit, quàm in ea ciuitate, quæ caput eſt regni. Denique, ſi poſtquam tot vbique laboribus defunctus es, tradere te quieti & placet & vacat: non video vel vbi commodiùs quieſcere: vel vbi ſedere tutiùs poſſis; quàm in vrbe, quę ſedes eſt Regia.

Sed vt hæc omnis oratio poſtremum in eam, qua primùm eſt repetita, deſinat: nihil habeo,

quod

quod æquius apprecari Maieſtati tuæ poſſim, Chriſtianiſſima Regina, quàm vt & gloria, qua pacem nobilitaſti, flo[illegible]s ; & eam ipſa firmitatem induas, qua nobilitatam illam corroboraſti. Nam digna mihi videris eſſe claritate nominis immortali, quæ paci claritatem gloriæ ſempiternam attuliſti : digna, quæ firmiorem, quæ diuturniorem à pace vitam obtineas; cùm & ipſam quoque pacem in ventura tempora tot ſtabilitatis præſidiis obſepſeris.

Iam prima nuptiarum tuarum fœcunditas, ſeu potiùs præmiſſa nuptiis ſoboles, pax fuit; conſequens exſpectatur altera. Pacem virgo pronubam peperiſti; & dignus vtique, dignus virgine partus hic erat, quia diuinus. Non potes eſſe ſterilis coniux : quæ vel tum adeò fuiſti fœcunda, cùm virgo Iam ſe tuo in vultu, pacis amœniſſimi flores explicant : quantum erit in fructu pretij, cuius in flore tantum elegantiæ, tantúmque dignitatis eſt? Sed vt fertilis ex ſeſe, & multo grauidata partu terra noſtra ſit : niſi tamen ſalubre cælum ſuis illam impreſſionibus, ac efficientiâ vegetet, hæreat intra ſterile parturiendi votum neceſſe eſt, paritura nunquam.

Veſtrum eſt, ô Superi, opus explere, quod inchoaſtis : vobis Tereſia, quòd fœcunda ſit, debeat ; quæ quòd coniux fuerit, debet ; matrem illam facite, quæ quidem vt eſſet Regina feciſtis. Quod facta magis arduum videbatur, impleuiſtis ; quod facilius relinquitur, abſoluite. Naſcentem Gallia Delphinum expectat; heredem Adeodatus, religio Chriſtianiſſimum Principem, alterum iuſtitiâ Ludouicum, pacis initę fructum aliquem Tereſia. Suppli-

canti Galliæ, quod ordo naturæ poſtulat, annuite, qui, quod ſupra naturam erat, eidem ſæpe conceſſiſtis: date heredem Adeodato, ne ſterile cælum dicatur eſſe, neve probrum ſterilitatis huius omne vobis adhæreſcat: date Chriſtianiſſimum Religioni Principem; ſi quis eſt (vt eſt profectò maximus) veſter in religionem amor: alterum iuſtitiæ Ludouicum ſufficite, ne ſi iuſtitiæ in tanta locupletandæ illius opportunitate defueritis, vobis & ipſa quoque defuiſſe iuſtitia cenſeatur. Denique ſancitæ pacis optatiſſimum Tereſiæ fructum tribuite, qui pacis autores extitiſtis. Nolite, obſecro, nolite morari diutiùs vota noſtra, vota cum ſalute Galliæ, cum dignitate religionis, cum ſtabilitate pacis, cum rationibus denique veſtris coniunctiſſima. Prolem ſuſcipiat ex Tereſia Ludouicus, heredem pacis, vt regni, ſic paternæ pietatis heredem. Qui futurus à tam nobili coniugio paruulus eſt, longiores in annos viuat, vigeat, floreat; natus ad magna, terris omnibus imperet, moriturus ad maiora, toto denique cælo dominetur. Vouimus & ſanè, ſi quid bene coniicio, feliciter: neque verò dubitandum puto, quin annis proximè conſequentibus, qui dicturus eſt apud vos ex hoc loco, idipſum, quod vaticinanti ſimilis dixi, quod futurum denunciaui, iam veluti factum, & Paci, & galliæ, & toti Reip. Chriſtianæ gratuletur.

PANE

AVGVSTISSIMO DELPHINO PANEGYRICVS.

Auctore

PETRO BOVCHER SOCIETATIS IESV.

QVOD omni geſtientis lætitiæ ſignificatione, vt tempus & amor tulit, profeſſi dudum hic ſumus, Princeps Eminentiſſime, Illuſtriſſimi Eccleſiæ Principes, Ceterique Auditores Illuſtriſſimi, quod area feſtis ignibus, ſpectaculis theatra, poëtæ carminibus, quouis litterarum genere ſcriptores noſtri celebrarunt: idem illud tandem in hac ſua celebritate maxima; tarde, ſi vota ſpectentur; maturius, ſi rei dignitas; ſi Kalendæ Octobres, qua potuit celeritate ſumma, publica voce Academia noſtra gratulatur. Gratulatur Eccleſiæ primogenitum, religioni vindicem, felicitatem Galliæ, Europæ arbitrum, miraculum orbi, Ludouico ac Thereſæ fru-

ctum amoris & vinculum, paci obſidem, populis delicias, regibus exemplum, poſteris ſplendorem, verbo vno ampliora dixerim; omnibus Delphinum.

Et quidem cum ſolemnis ad dicendum ex hoc loco dies à fortunatiſſimo eius ortu illuceſcat primus, tarditati in tanto munere ornando adeo non poſtulat ignoſci ſuæ, vt eam potius facere contendat ad infinitatem tanti boni liquidius demonſtrandam. Occupent tempeſtiuam gratulationis horam ea beneficia, quæ cum plena inanitatis ſint, commendationis per ſe non habent ſatis, niſi fucum recentis lætitiæ ſenſus nouitatiſque illecebræ faciant: verùm quod tempora omnia gloriæ vtilitatumque perennitate complectitur, prædicari omni tempore ſuauiſſimè poteſt; quod amplitudine ſua bona cuncta comprehendit, opportunitatem exundantis gaudij aut conciliatriculæ nouitatis non aucupatur; quod cerni quantum eſt, vno aſpectu, quod teneri primo mentis impetu præ magnitudine non poteſt totum, ſponte moras admittit, ipſaque tarditate pretioſius, vbi probatum diu eſt, illuſtrius micat. Creuit enimuero creſcente auguſtiſſimo Delphino cauſa gratulandi. vim nouam & robur ab eius robore ac viribus habet alacritas noſtra: neque aut ſuſpecta eſſe aut incerta poteſt, ex quo tantum boni perſenſiſcimus.

Verum vt fons noſtræ felicitatis ex Ludouico iuxta & Delphino totus iugiſque dimanat; neutrum à neutro ſeiungemus hac in oratione, AVDITORES: Ludouicum in Delphino,

phino, Delphinum in Ludouico laudabimus: cum maximè neque accepta patri laus ea ſit, quæ in filium aliquando non cadat: neque filio, quæ conſortem gloriæ non admittat patrem.

Quo in argumento hæc potiſſimum tria informare nobis infantis ter maximi amplitudinem, firmamque adeo ſpem iniicere incredibilis cuiuſdam proſperitatis videntur: quod in Ludouico & patrem, & magiſtrum, & exemplum Delphinus habeat: vitam pater, magiſter inſtitutionem, virtutem exemplum, omnia Ludouicus cumulatiſſimè præſtabit. Quantus corpore ſit atque animo futurus, ex patris abſolutiſſimi dotibus; quantus regia diſciplina, ex ſcientiſſimi magiſtri præceptis; quantus præclare factis, ex præſtantia laudatiſſimi exempli, Gallia, præcognoſce. Felicitatem, quanta eſſe maxima poteſt, ex eo metire tuam: Delphinus Ludouici filius eſt, Ludouici diſcipulus, Ludouici æmulator.

Me quidem recreat incredibiliter ac reficit conſpectus hac in cauſa tuus, PRINCEPS EMINENTISSIME. Non poterit Auditoribus illuſtriſſimis hæc mea non probari oratio, quę argumento ipſo ad venerationem vſque ab eo probetur, cuius dignitas apice ſuperatur vnico, neque ſuperabitur, vt ſperamus, ſemper; ingenium certe ſupra dignitates omnes excellit. Faciles de Delphino dicenti & amicas aures Lutetiæ dabis, qui Romæ Principis eiuſdem ortum apparatiſſimo cultu, ma-

gnificentiſſima pompa, ſumptu plane regio celebraſti. Ingenium oratori afferet acerrima vis excelſæ mentis tuæ, robur inuicta animi tui magnitudo, ſplendorem magificentia, fiduciam facilitas, conſtantiſſimus in Galliam amor amores erga Principem ſuauiſſimum noſtros excitabit. Quid enim deneget aut Eccleſiæ primogenito Cardinalis, aut Vrbani ſanguis Ludouici ſanguini, aut Galliarum fortunæ Antonius Barberinus? Vnum interim ad populorum omnium felicitatem Delphino tibique, Princeps Eminentiſſime, & prænuntiamus & precamur: te ille ſacrorum Principum beatiſſimum ſancte ac religioſe veneretur, illum tu heroum regumque maximum & mireris & colas: vterque veſtrum terrarum orbem coniunctiſſimis animis moderetur.

Ac primo quidem, quid portendat Delphinus ex Ludouico patre felicitatis, quis non facile intelligat, qui conſilium naturæ atque vim, vt in ſeminibus ac ſtirpibus, ita procreandis liberis eam eſſe cogitet, ſimilem vt ſibi fœtum & quaſi fructum effundat parens; ſeque in eo quodammodo repræſentet totum.

Rapimur, AVDITORES, cupiditate immortalitatis: quam vt conciliare nobis memoria recte factorum, monumentorum magnificentia, æris marmoriſque perennitate, omni induſtriæ genere ars ſtudet: ſic natura, non rudia hæc tantum veſtigia hominis, non emortuum, non exterius, non caducum ſimulacrum quoddam, ſed expreſſam inti-

mam

mam ; viuam, ſpirantem in progenie imaginem parentum informat, vt perennem in illa vitam iiſdem feliciore conatu propaget. Spirat ſane in prole genitor, cernitur in vultu, auditur in voce, in factis agit, in virtutibus commendatur. Quamobrem vitam primum parentibus debeant liberi quidem : ſed vitam deinde liberis quodammodo parentes debent. Hi delibata particula quadam ſui vitæ primitias, dum viuerent, filiis dedere, illi vegetum æui robur procreatoribus prope rediuiuis, & quaſi de morte triumphantibus etiam poſt funera reſtituunt. Hi naturam ſuam, ingenium, mores in fantis infuſos corpuſculo texerunt : efferunt illi in apertum eadem, neque tam ſibi, quàm parentum æternitati ætatem agunt. Quo quidem ex fonte, mea ſententia, prodit inflammatus ille parentum in filios, atque inflammatior idem in nepotes amor. Amant illi naturæ ingenio quodam non tam liberos, quàm ſemetipſos in liberis, vitæque atque imaginis in iiſdem, maximeque in nepotibus ſuæ propagationem : quæ cum in parentibus liberi non videant, relangueſcere beneuolentiæ impetus ſolet, inque progeniem pariter, in qua ſic tanquam in ſpeculo intuentur ſeſe, prope tota transfundi.

Itaque ſpeculum Ludouici Delphinus eſt, cui parem ac geminam tum corporis tum animi præſtantiſſimi formam eo ingenerauit expreſſius, quod & nobilium ſanguis conſtat fere ſibi, neque ab eximiis parentum dotibus, niſi ægre deficit ; & eandem prope ad miraculum effingit multiplex & inuſitata plane ſan-

guinis eiuſdem communio.

Degenerant identidem poſteri, quia peregrini aliquid cum afferat mater, diuerſus ab effectore fœtus coaleſcit. At Ludouicæus plane Delphinus eſt, in quem Borbonius Auſtriacuſque, hoc eſt Ludouici ſanguis mirifica conſenſione confluxit: Aduenticium, alienum in eo, diſcrepanſque nihil. Patre Borbonio, Auſtriaca matre Ludouicus; Auſtriaco patre, matre Borbonia Thereſa, prodierunt in lucem: Ludouicus Iuſtus Philippo, Ludouico Philippus ſorores junxerant, vt Adeodato Thereſaque procreatis, Principibus optimis orbis frueretur: hoc deinde non tam humana conſilia, quam diuina copularunt, vt confirmatus tot heroum ſanguis & corroboratus vim in Delpino penitus exereret totam, neque aberrare poſſet à Principis abſolutiſſimi imagine, ad quam toties proluſiſſet in maioribus, quam in vtroque parente, tam fortunate, tamque conſtanter expreſſiſſet.

Ergone iam placet de ingenitis Delphino dotibus certam facere coniecturam? Excitate animos, AVDITORES, vim intelligentiæ totam acerrimè contendite: cogitate Principum omnium decora, Gallorum dico: quid enim externos conquiram, quos tanto interuallo noſtri ſuperant? Conflate, ſi poteſtis, è regum noſtrorum plane omnium, in quibus præſtantiſſimus fere, qui poſtremus, præclariſſimis laudibus imaginem auguſtiſſimam: vix rudem Adeodati & inchoatam ſpeciem adumbraſtis. Quantum enim eſſe in eo Principe præſtantiæ ſupra cæteros, quantum diſcrimi-

nis

nis debet, in quo non vis naturæ, ſed benigniſſima Dei manus tandiu elaborauit; quem exoratus tandem infiniti cuiuſdam beneficij loco conceſſit ad felicitatem populorum; in quo excellentiſſimam maieſtatis diuinæ ideam Principibus ad exemplum cunctis, orbi terrarum ad venerationem, ad imperium propoſuit. Quanquam quid opus animorum contentione, vbi tantum boni oculis tam facile vſurpamus? Retexant dicta ſua tandem ciuilis ſcientiæ magiſtri, qui maiorem è longinquo reuerentiam eſſe Principi opinionemque ſtatuunt. Quo cernunt te populi, LVDOVICE, frequentius, quo propius accedunt, eo maior humano faſtigio videris: nunquam excelſior, quàm cum vnus è nobis eſſe voluiſti: nunquam admirabilior, quàm cum diu in aſpectum tui defixos tenes: nunquam plenior maieſtatis, quàm cum deſtitutum ab omni ſatellitio vnum te atque in te vno regiæ dignitatis apicem veneramur; tibique, non Principi deuotiſſimæ ſeruitutis obſequia volentes deferimus.

Quis in nupera vmbratilis concertationis pompa, quam deſiderari à nemine indulgentiſſimus Princeps voluit, quis in inſtructiſsimo illo atque opulentiſſimo apparatu pompam & apparatum vidit? quis in illa Principum, procerumque frequentia; quos & innata virtus, & aſcitæ omnis generis opes cultuſque longe ſupra cæterarum gentium Reges extulerant, Regem noſtrum quæſiuit? Num quis aberrauit vnus? quis non illico Ludouicum agnouit? quis ab eodem deflexit vel minimum oculos?

quis

quis niſi regnum ſanguini iam deberetur, non exiſtimabat concedendum maieſtati?

Accedit habitudo firma corporis, vegetæ vires, integerrima veletudo, inuictum robur, vigiliarum, inediæ, tempeſtatum omnium, incommodorúmque patientiſſima natura: cuius illuſtre prorſus exemplum in eo, quod dicebam, haſtatorum nobilium certamine poſuit. Meminiſtis, AVDITORES, quod ſine pleniſſima amoris ſollicitudine veſtrum nemo vidit, continuis flagrantiſſimi ſolis ardoribus, quibus ſe vel fortiſſimi quique ſubducebant, dies duos ſacrum obieciſſe caput, & ne in vmbratili quidem pugna vmbram quæſiuiſſe. ſeu radiorum vim retunderet micantior ſole ipſo ſol ille noſter: ſeu partæ tot victoriis laureæ vmbræ ſatis in aprico darent: ſeu abs re duceret ſolis æſtum fugere, qui bellicos ignes tormentorumque fulmina, quàm crebro, tam fortiter prouocaſſet.

Neque verò in Ludouici adeoque in Delphini laude poſuerim dignitatem illam oris, heroïcam proceritatem, neruos, lacertos, ac robur, quæ tamen Imperatores priſcis temporibus conſecrarunt, niſi robuſtior multo erectiorque, ac prope diuina mens è vultu Principis, totoque corpore, vti ſolares è tenui nube radii, emicaret. Vos hic appello, Palatini proceres, vos, AVDITORES ILLVSTRISSIMI, quibus Regis animus patet, vos, exterarum gentium legati, vos, quibus arcana regni negotia Princeps credit, veſtra hic iudicia aut quotidianas potius admirationes expone. Quis vnquam extitit aut maturior

turior ad iudicandum, aut ad peruidendum perſpicacior, aut ad intelligendum celerior, aut acutior ad excogitandum? Perplexa & impedita occurrunt; acies ingenij explicat: obſcura? illuſtrat; lubrica? firmat; improuiſa? occupat. Quis robur illud animi non obſtupeſcat, quod grauiſſimarum rerum molem ita ſuſtinet, vt ne nutet quidem? Quis amplitudinem, quæ varietatem innumerabilem ita comprehendit, nihil vt perturbetur? Quis intelligentiæ vim, quæ infinita voce vna ſic contrahit, nihil vt excidat? Quis tranquillitatem, quæ continuis negotiis ita patet, vt otiari prope perpetuo videatur? Ecquis in mandatis prudentiam, grauitatem in reſponſis, conſilium in deliberationibus, in ciuium poſtulatis memoriam, prouidentiam in futuris, in omnibus mentem humana maiorem non ſuſpexit?

Hæc ſunt, AVDITORES, quæ quotidiano vſu frequentant Galli, ſocij ſinceris laudibus gratulantur, formidant, ſi qui ſunt, æmuli, omnes conſpirantibus ſententiis profitentur: vt neque adulationis adhæreſcere ſuſpicio queat in tanta celebritate, neque amplificandæ rei locus in tanta excellentia relinquatur. Hæc ſunt, quæ iam in auguſtiſſimo Delphino anticipata cogitatione cernimus: agnoſcimus in patre filium, patrem poſthac in filio agnituri: ſpes tantas neque frangit infinitas rei, neque infantis retardat aſpectus: cum intelligamus, quid munificentiſſimi in Galliam Dei benignitas poſſit, quid Adeodatus parens efficiat.

Anguſtius profectò de te cogitat, ADEO-

DATE

laudatio
ſta non
ſtianiſſim
dem ſen
Ludouic
eſſe, ſed
diſtrahi
tius felic
rit & ill
carum c
douico,
multo q
ſente &
vxore g
illam om
nia com
cum illa
ſe ntanc
diam qu
partiret
quotidie
ri rconfer
tua quæ
fferunt
eas id g
æ ſæpe
magis ve
r officio
t vt dul

ilis, quia miraculum ingens parens
nquam ſit ſane ſupra naturæ vim
eodato in aliis generatoribus filius:
, Princeps Incomparabilis, na-
non ſuperat, qui ea neceſſitate
vt, quæ in cæteris diuinæ cuidam
nariæ virtuti tribuantur, innata
ingenita ſit, vt admirabilitatem
arem, miraculi nomen non obti-

dico: ſi meliorem rege noſtro præ-
nve Principem vel optare vota, vel
omminiſci, vel informare cogitatio-
nt, talem ego Delphinum certiſſi-
ector æſtimare. Deus, AVDITO-
s ipſe, vt ſanciendæ paci; nuptiiſ-
s, ita generando infanti ſereniſſimo
Pacis opus Delphinus eſt, fructus pa-
s vinculum, pacis prope dixerim
quam Ludouici filius. Duxit linea-
rporis omnia cæleſtis ille ac præpo-
ctor pacis, effinxit membra, ſangui-
udit in venas, colores induxit, men-
cit æternitati pacis atque Europæ im-
rem. Quo factum eſt, vt Londinenſe
rum iurgium componeret naſcendo,
pacificus infans, quodque irritamen-
li faxque noui tumultus cenſebatur,
publicam publica deinde prærogatiuæ
profeſſione firmaret: iridis in morem,
tempeſtatibus oritur, eas vt compeſcat,
r fulmina turbidoque cælo non dubia
rgnitatis.

Niſi

Niſi forte aut tanta celeritate Deus munus tantum nullo conſilio cumulauit; aut eo temporis puncto temere protulit in lucem, quo, vt acerrimus, ita ſerenus maxime & quaſi pacatiſſimus ſol regnat: aut non eam diem eius natalibus inclinatam conſulto voluit, qua æternus ille Princeps pacis perennem pacifici regni ac feliciſſimam tranquillitatem explicat. Perſuaſum mihi profecto non ægre fuerit, deſtinatam ſingulari prouidentia fuiſſe illam diem: quod cœlites cuncti, à quibus exorata pax Europæ tandem fuerat, partum hunc, quaſi firmamentum pacis ac robur, conſentientibus ſtudiis maturarent; & fortunatiſſimum infantem conſecratum ſinguli optarent ſibi, in quo felicitatem regni, amores populorum, Europæ moderatorem, votorum omnium metam non obſcurè præſentirent.

Præſentire iam & nos cœpimus idem, Auditores, quid enim eximie conformatum, bene habitum, neruoſum, valenſque, vt ea ætate, corpus; quid frontis maieſtas; quid acerrima vis oculorum; quid fixus obtutus; quid erectum caput, quid expers lacrymarum infantia ſignificant? Hæc ſunt, mihi credite, indicia certa futurorum, hęc herois adumbratio. Sic ille iam corpore patrem atque ore refert, quem animo deinde aſſequetur: ſic felicitatem tibi, Gallia, non dubiis argumentis appromittit, quam factis ac virtutibus ſupra vota cumulatiſſimam elaboret.

Sed idem iſte labor Ludouicum prius tenebit; vt quas filio dotes impertiit parens, eaſdem

dem in diſcipulo morum magiſter inſtitutione perficiat.

Magnum eſt regium infudiſſe ſanguinem: maius regiam mentem informare. Quanti enim eſſe putes viuere, niſi recte viuas? Quanti vel regnare, niſi par eſſe regno poſſis? illud naturæ, hoc diſciplinæ beneficium eſt; tanto inſignius, quanto corporis vitæ animi vita præſtat; tanto liberalius, quanto ſtat ab arbitrio noſtro nutuque magis, voluntate patrem eſſe, quod diſciplinæ eſt; quàm neceſſitate, quod eſt naturę munus. Vtrumque vero Ludouici munus erit, qui geminata gratia bis Delphini pater vt imperaret, procreando dedit; faciet eodem inſtituendo, vt ſapienter imperet.

Quantæ porro recta Principis educatione includantur opes, quàm operoſum ſpiſſumque ſit opus, & bonorum Principum paucitas, & primariorum adminiſtrorum frequentia, & populorum calamitates liquidius, quàm par ſit, crebriuſque multo demonſtrant. Quam eſt autem vel hacce doctrina paratus, vel voluntate promptus ad tantam prouinciam Princeps noſter?

Ac de ciuili quidem illa ſcientia commendationem meam Ludouici facta iam occuparunt. Quæris quam ſcienter artem regnandi comprehendat? Vide, quid agat, quo pacto rem adminiſtret. Itaque mentem in ſe conuertat, intueatur ſe Adeodatus: quotidianam vitam, deliberationes, propoſita, reſponſa, mandata, prouidentiam, ſingula renarret, ſe Delphino dicat, verbiſque exprimat, ſi fas eſt, totum, quem, ne admirando quidem, totum capi

capimus: tum facile diſciplina publicæ rei abſolutiſſima Delphinum imbuerit. Etenim quid ille ſibi aut librorum lectionem, aut vocem doctorum, aut ſapientum conſilia, aut exempla ſuperiorum temporum ad filij eruditionem accerſat? ſe legat vnum, ſe audiat, ſe conſulat, ſe contempletur: & in ſe cuncta, mihi credite, leget, audiet, conſulet, contemplabitur: niſi quod cumulatiora eadem in ſe & illuſtriora haud paulo, quam in ceteris plane cunctis intelliget; ſibi liber, ſibi doctor, ſibi conſilium, ſibi exemplum; locupletiſſimus liber, doctor intelligentiſſimus, conſilium ſapientiſſimum; probatiſſimum exemplum; exemplum ſine vitio, conſilium ſine periculo, doctor ſine ſupercilio, liber ſine mendo. Quamobrem concidant, per me licet, monumenta omnia, quibus Regum inſtitutio continetur, obſoleſcant libri, conticeſcant doctores, ſapientes intereant, exempla obliterentur: ſtet modo Princeps noſter, AVDITORES, ſeque filio commodet; modo ſuis ex factis prudentiæ ciuilis exempla decerpat: periiſſe Delphino nihil, confidenter aſſeuero: vt extinctis nocturnorum ſiderum facibus, nihil orbi ſol incommodat: quia ſic obſcurat eorum lumina parens ille lucis, vt ſuperet.

Atque haud ſcio, an occurrat aliud in Ludouico quidquam illa tam excellenti tamque præcoce doctrinæ Regiæ intelligentia admirabilius: ad quam non factus, ſed natus; non inſtitutus diſciplina, ſed cælitus imbutus; non inchoatus, ſed omni ex parte perfectus derepente prodiit; magiſter abſque rudimentis,

abſ

abſque tirocinio emeritus, adultus abſque infantia, ante prætergreſſus metas, quam è carceribus emiſſus. Quare vt largiſſimum lumen, non ſenſim laboriſque diuturnitate, ſed puncto temporis vno terris omnibus infunditur: ita Galliam totam repentina clariſſimaque perobſcuræ ſcientiæ luce illuſtrauit.

Qualis ergo, quantuſque futurus tandem eſt, vbi lucem nouam plurimũ annorum vſus affuderit; vbi & virtutibus ſuis & peccatis exterorum artem illam penitus imbiberit; vbi tempeſtiua ætatis maturitas inſitam aut innatam potius prudentiam cumularit? Quam tibi tum ſcholam, Regie auditor, quas præceptiones, quæ oracula vetus ne, an nouus è ſolio præceptor aperiet? vetus ſi doctrinæ antiquitatem ſpectes; ſi eiuſmodi doctorum infrequentiam, omnino nouus, qui diſcipulus nunquam fuit, vt diuturnior doctiorque magiſter eſſet, qui artem ſuam antequam naſcereris, profeſſus Europa plaudente fuerat, vt maiori veneratione exciperes: qui vix adultus diſcipulum genuit, ne forte ingraueſcens ætas tantum tibi doctorem eriperet: qui adminiſtrationem publicæ rei per ſe ipſe ſuſceperat, vt regium magiſtrum præſtaret.

Enimuero quàm felici Galliæ fato prouiſum eſt, vt moderatores & ſcientiſſimos & Regiæ vnius gloriæ vtilitatumque appetentiſſimos Ludouicus obtineret; tam raro Principum cæterorum inſtitutioni præeſſe pro dignitate priuati ſolent. Amans nimirum imperij eſt retinenſque regiæ originis diſciplina regnandi, deſcendere è ſolio, ſeque commodare cuiuis

de

de populo vix poteſt, quæ populis imperare conſueuit, & leges vel imperatoribus imponere. Degeneraret à claritate natalium, & redigeretur quodammodo in ordinem, ſi ab homine priuato ad Reges facile duceretur. Siue vti artium pleræque, exercitatione magis, quam contemplatione præceptiſque comprehenditur; autoritatemque haud paulo grauiorē hominis experti facta, quàm inexperti verba ſemper habuerunt: ſiue, quemadmodum è priſcorum temporum exemplis liquido cernitur, fingere ſe ad Principis nutus aut reuerentia aut adulatione aut vtilitate doctores illi ſolerent; neque tam Principibus plerique ſtuderent, quàm ſibi: ſiue id maxime niterentur, ne intelligentiores vnquam Principes aut eruditiores euaderent. Sic enim ſtatuebant, quandiu regij alumni diſcerent, tandiu ſe dominari; legeſque ab eo dari populis tuto poſſe, à quo reges ipſi acciperent. Adeo facultatem, quam voce traderent, re docere ambiebant, factiſque diutiſſimè tractare.

Quanto & ſcientiorem Delphinus & propenſiorem magiſtrum nanciſcetur? Quanta Galliæ felicitate tenerani]pueri mentem ſponte ad omne decus inclinatam Ludouicus inflectet, cuius ſtudium hoc vnum amorque eſt, publicæ rei ſeruire? Ideo ſedere ſe putat è ſolio ſublimem, noſtris vt commodis inuigilet: ideo corona caput, ſceptro manum ornari, vt & mente & factis iuuare meminerit ſuos. Quem quidem eius in Galliam animum non cernere, cæcitatis eſt; ingratæ mentis, non prædicare. Itaque non ſatis amori ſuo Princeps optimus

faciat,

faciat, regnum, quod res eius bellicæ tot vndequaque prouinciis amplificarunt, ſaluberrimis inſtitutis temperare, niſi filium vna ad regni incolumitatem inſtruat; non ſatis ſaluti noſtræ conſulere in præſens, niſi longe in conſequentes ætates proſpiciat; pridem certe ampliſſimis in nos promeritis pater patriæ, hoc vno tamen facto illuſtrius & filij iuxta & patriæ pater. Videt coalitam hic & conſertam tum filij vtilitatem tum populi collectam hac diſciplina vtramque pietatem, felicitatem vtriuſque ac dignitatem hac vna occupatione fundatam.

Elegiſſe deteriorem in Tiberio Imperatorem à ſuſpicioſo ſcriptore Auguſtus fertur, vt deſiderium ſui & admiratione per ſcelera ſucceſſoris augeret. Tu, cum optimus dici ſemper, quàm maximus malueris, optime vna maximeque Principum, famam tuam gloriamque filij virtutibus publicoque bono facile condonares. Sed nimirum illuſtrius eſſe ad gloriam propiuſque ad Dei ſimilitudinem putas, benefactis tuis quàm aliorum vitiis commendari: & cum optimum nobis Principem genueris, facturus deinde optimo meliorem, præconem relinquis vel in eius factis æternum tui, quia laudabilius deceſſori accidere poteſt nihil, quàm abſolutiſſimus laudatiſſimuſque ſucceſſor.

Quid vos autem hic ego tandiu moror? Quid argumentis in eo inſiſto etiamnum, quod oraculo firmatum eſt? Inſtar enim oraculi obtinet vox Principis. Fidem, Auditores, fidem Adeodatus ipſe ſuam obligauit: multis certiſque

quis niſi regnum ſanguini iam deberetur, non exiſtimabat concedendum maieſtati?

Accedit habitudo firma corporis, vegetæ vires, integerrima veletudo, inuictum robur, vigiliarum, inediæ, tempeſtatum omnium, incommodorùmque patientiſſima natura: cuius illuſtre prorſus exemplum in eo, quod dicebam, haſtatorum nobilium certamine poſuit. Meminiſtis, AVDITORES, quod ſine pleniſſima amoris ſollicitudine veſtrum nemo vidit, continuis flagrantiſſimi ſolis ardoribus, quibus ſe vel fortiſſimi quique ſubducebant, dies duos ſacrum obieciſſe caput, & ne in vmbratili quidem pugna vmbram quæſiiſſe. ſeu radiorum vim retunderet micantior ſole ipſo ſol ille noſter: ſeu partæ tot victoriis laureæ vmbræ ſatis in aprico darent: ſeu abs re duceret ſolis æſtum fugere, qui bellicos ignes tormentorumque fulmina, quàm crebro, tam fortiter prouocaſſet.

Neque verò in Ludouici adeoque in Delphini laude poſuerim dignitatem illam oris, heroïcam proceritatem, neruos, lacertos, ac robur, quæ tamen Imperatores priſcis temporibus conſecrarunt, niſi robuſtior multo erectiorque, ac prope diuina mens è vultu Principis, totoque corpore, vti ſolares è tenui nube radii, emicaret. Vos hic appello, Palatini proceres, vos, AVDITORES ILLVSTRISSIMI, quibus Regis animus patet, vos, exterarum gentium legati, vos, quibus arcana regni negotia Princeps credit, veſtra hic iudicia aut quotidianas potius admirationes exponite. Quis vnquam extitit aut maturior

turior ad iudicandum, aut ad peruidendum perſpicacior, aut ad intelligendum celerior, aut acutior ad excogitandum? Perplexa & impedita occurrunt; acies ingenij explicat: obſcura? illuſtrat; lubrica? firmat; improuiſa? occupat. Quis robur illud animi non obſtupeſcat, quod grauiſſimarum rerum molem ita ſuſtinet, vt ne nutet quidem? Quis amplitudinem, quæ varietatem innumerabilem ita comprehendit, nihil vt perturbetur? Quis intelligentiæ vim, quæ infinita voce vna ſic contrahit, nihil vt excidat? Quis tranquillitatem, quæ continuis negotiis ita patet, vt otiari prope perpetuo videatur? Ecquis in mandatis prudentiam, grauitatem in reſponſis, conſilium in deliberationibus, in ciuium poſtulatis memoriam, prouidentiam in futuris, in omnibus mentem humana maiorem non ſuſpexit?

Hæc ſunt, AVDITORES, quæ quotidiano vſu frequentant Galli, ſocij ſinceris laudibus gratulantur, formidant, ſi qui ſunt, æmuli, omnes conſpirantibus ſententiis profitentur: vt neque adulationis adhæreſcere ſuſpicio queat in tanta celebritate, neque amplificandæ rei locus in tanta excellentia relinquatur. Hæc ſunt, quæ iam in auguſtiſſimo Delphino anticipata cogitatione cernimus: agnoſcimus in patre filium, patrem poſthac in filio agnituri: ſpes tantas neque frangit infinitas rei, neque infantis retardat aſpectus: cum intelligamus, quid munificentiſſimi in Galliam Dei benignitas poſſit, quid Adeodatus parens efficiat.

Anguſtius profecto de te cogitat, ADEO-

DATE

DATE, qui ea tantum, quæ in cæteris videt, cadere in te cogitat. Aſſueſcimus pridem in te cernere, quæ in aliis deſperemus. Totus ſupra naturæ leges conflatus á Deo, diuinam & miraculorum pleniſſimam ætatem agis: niſi forte conſuetudine ipſa & quotidiano vſu eſſe miracula deſierunt. Deſperata fœcunditas parentum erat, vt miraculo naſcereris: parentis obitus hoſtes in Galliæ fines infinitos effuderat, vt infantia tua miraculo vinceret: regnum turbulentiſſimæ ciuilium diſſenſionum tempeſtates concuſſerat, vt illud puer miraculo firmares: adoleſcentiam bellorum ardor, & inflammata gloriæ cupiditas incenderat, vt bella idem miraculo reſtingueres: iuuentutem primum adminiſtratio regni occupauit, vt de adminiſtrorum intelligentiſſimorum ſolertia ipſo in aditu rudis ac tiro inſigni miraculo triumphares. Et erit, vt diſſentiat à ſe in Delphini procretione Ludouicus, qui in cæteris mirificè conſentit? Erit, vt continuata toto vitæ decurſu miracula in Delphino deſiderentur vno, in quem congerere vnum miracula omnia debuiſſet? Erit, vt ſingula reipub. munia, ſingulas vitæ partes illuſtret miraculis: factum hoc vnum ad reipub. ſalutem, ad regis gloriam infinitum deſciſcat à reliquorum nobilitate, vt filius à parente degeneret?

Erro tamen, qui, dum ſimilem opto parenti filium, miraculum in Delphino deſidero. Quod natura deſiderat, quod efficit in plantis, quod in animantibus exprimit, quod parentibus ſingulis impertitur, hoc deſidero. Iterum ergo: miraculum eſt vel parenti Del-

phinus ſimilis, quia miraculum ingens parens fuit, Quanquam ſit ſane ſupra naturæ vim ſuppar Adeodato in aliis generatoribus filius: in te vno, Princeps Incomparabilis, naturæ vires non ſuperat, qui ea neceſſitate natus es, vt, quæ in cæteris diuinæ cuidam & exordinariæ virtuti tribuantur, innata tibi ſic & ingenita ſit, vt admirabilitatem habeant parem, miraculi nomen non obtineant.

Amplius dico: ſi meliorem rege noſtro præſtabilioremve Principem vel optare vota, vel adulatio comminiſci, vel informare cogitationes poſſent, talem ego Delphinum certiſſimus coniector æſtimare. Deus, AVDITORES, Deus ipſe, vt ſanciendæ paci; nuptiiſque regiis, ita generando infanti ſereniſſimo præfuit. Pacis opus Delphinus eſt, fructus pacis, pacis vinculum, pacis prope dixerim magis, quam Ludouici filius. Duxit lineamenta corporis omnia cæleſtis ille ac præpotens effector pacis, effinxit membra, ſanguinem diffudit in venas, colores induxit, mentem iniecit æternitati pacis atque Europæ imperio parem. Quo factum eſt, vt Londinenſe Hiſpanorum iurgium componeret naſcendo, iam tum pacificus infans, quodque irritamentum belli faxque noui tumultus cenſebatur, quietem publicam publica deinde prærogatiuæ noſtræ profeſſione firmaret: iridis in morem, quæ in tempeſtatibus oritur, eas vt compeſcat, vel inter fulmina turbidoque cælo non dubia cauſa ſerenitatis.

Niſi

Niſi forte aut tanta celeritate Deus munus tantum nullo conſilio cumulauit; aut eo temporis puncto temere protulit in lucem, quo, vt acerrimus, ita ſerenus maxime & quaſi pacatiſſimus ſol regnat: aut non eam diem eius natalibus inclinatam conſulto voluit, qua æternus ille Princeps pacis perennem pacifici regni ac feliciſſimam tranquillitatem explicat. Perſuaſum mihi profecto non ægre fuerit, deſtinatam ſingulari prouidentia fuiſſe illam diem: quod cœlites cuncti, à quibus exorata pax Europæ tandem fuerat, partum hunc, quaſi firmamentum pacis ac robur, conſentientibus ſtudiis maturarent; & fortunatiſſimum infantem conſecratum ſinguli optarent ſibi, in quo felicitatem regni, amores populorum, Europæ moderatorem, votorum omnium metam non obſcurè præſentirent.

Præſentire iam & nos cœpimus idem, Auditores, quid enim eximie conformatum, bene habitum, neruoſum, valenſque, vt ea ætate, corpus; quid frontis maieſtas; quid acerrima vis oculorum; quid fixus obtutus; quid erectum caput, quid expers lacrymarum infantia ſignificant? Hæc ſunt, mihi credite, indicia certa futurorum, hęc herois adumbratio. Sic ille iam corpore patrem atque ore refert, quem animo deinde aſſequetur: ſic felicitatem tibi, Gallia, non dubiis argumentis appromittit, quam factis ac virtutibus ſupra vota cumulatiſſimam elaboret.

Sed idem iſte labor Ludouicum prius tenebit; vt quas filio dotes impertiit parens, eaſdem

dem in diſcipulo morum magiſter inſtitutione perficiat.

Magnum eſt regium infudiſſe ſanguinem: maius regiam mentem informare. Quanti enim eſſe putes viuere, niſi recte viuas? Quanti vel regnare, niſi par eſſe regno poſſis? illud naturæ, hoc diſciplinæ beneficium eſt; tanto inſignius, quanto corporis vitæ animi vita præſtat; tanto liberalius, quanto ſtat ab arbitrio noſtro vtruque magis, voluntate patrem eſſe, quod diſciplinæ eſt; quàm neceſſitate, quod eſt naturę munus. Vtrumque vero Ludouici munus erit, qui geminata gratia bis Delphini pater vt imperaret, procreando dedit; faciet eodem inſtituendo, vt ſapienter imperet.

Quantæ porro recta Principis educatione includantur opes, quàm operoſum ſpiſſumque ſit opus, & bonorum Principum paucitas, & primariorum adminiſtrorum frequentia, & populorum calamitates liquidius, quàm par ſit, crebriuſque multo demonſtrant. Quam eſt autem vel hacce doctrina paratus, vel voluntate promptus ad tantam prouinciam Princeps noſter?

Ac de ciuili quidem illa ſcientia commendationem meam Ludouici facta iam occuparunt. Quæris quam ſcienter artem regnandi comprehendat? Vide, quid agat, quo pacto rem adminiſtret. Itaque mentem in ſe conuertat, intueatur ſe Adeodatus: quotidianam vitam, deliberationes, propoſita, reſponſa, mandata, prouidentiam, ſingula renarret, ſe Delphino dicat, verbiſque exprimat, ſi fas eſt, totum, quem ne admirando quidem, totum

capi

capimus : tum facile diſciplina publicæ rei abſolutiſſima Delphinum imbuerit. Etenim quid ille ſibi aut librorum lectionem, aut vocem doctorum, aut ſapientum conſilia, aut exempla ſuperiorum temporum ad filij eruditionem accerſat? ſe legat vnum, ſe audiat, ſe conſulat, ſe contempletur: & in ſe cuncta, mihi credite, leget, audiet, conſulet, contemplabitur: niſi quod cumulatiora eadem in ſe & illuſtriora haud paulo, quam in ceteris plane cunctis intelliget; ſibi liber, ſibi doctor, ſibi conſilium, ſibi exemplum; locupletiſſimus liber, doctor intelligentiſſimus, conſilium ſapientiſſimum; probatiſſimum exemplum; exemplum ſine vitio, conſilium ſine periculo, doctor ſine ſupercilio, liber ſine mendo. Quamobrem concidant, per me licet, monumenta omnia, quibus Regum inſtitutio continetur, obſoleſcant libri, conticeſcant doctores, ſapientes intereant, exempla obliterentur: ſtet modo Princeps noſter, AVDITORES, ſeque filio commodet; modo ſuis ex factis prudentiæ ciuilis exempla decerpat: periiſſe Delphino nihil, confidenter aſſeuero: vt extinctis nocturnorum ſiderum facibus, nihil orbi ſol incommodat: quia ſic obſcurat eorum lumina parens ille lucis, vt ſuperet.

Atque haud ſcio, an occurrat aliud in Ludouico quidquam illa tam excellenti tamque præcoce doctrinæ Regiæ intelligentia admirabilius: ad quam non factus, ſed natus; non inſtitutus diſciplina, ſed cælitus imbutus; non inchoatus, ſed omni ex parte perfectus derepente prodiit; magiſter abſque rudimentis,

abſ

abſque tirocinio emeritus, adultus abſque infantia, ante prætergreſſus metas, quam è carceribus emiſſus. Quare vt largiſſimum lumen, non ſenſim laboriſque diuturnitate, ſed puncto temporis vno terris omnibus infunditur: ita Galliam totam repentina clariſſimaque perobſcuræ ſcientiæ luce illuſtrauit.

Qualis ergo, quantuſque futurus tandem eſt, vbi lucem nouam plurimũ annorum vſus affuderit; vbi & virtutibus ſuis & peccatis exterorum artem illam penitus imbiberit; vbi tempeſtiua ætatis maturitas inſitam aut innatam potius prudentiam cumularit? Quam tibi tum ſcholam, Regie auditor, quas præceptiones, quæ oracula vetus ne, an nouus è ſolio præceptor aperiet? vetus ſi doctrinæ antiquitatem ſpectes; ſi eiuſmodi doctorum infrequentiam, omnino nouus, qui diſcipulus nunquam fuit, vt diuturnior doctiorque magiſter eſſet, qui artem ſuam antequam naſcereris, profeſſus Europa plaudente fuerat, vt maiori veneratione exciperes: qui vix adultus diſcipulum genuit, ne forte ingraueſcens ætas tantum tibi doctorem eriperet: qui adminiſtrationem publicæ rei per ſe ipſe ſuſceperat, vt regium magiſtrum præſtaret.

Enimuero quàm felici Galliæ fato prouiſum eſt, vt moderatores & ſcientiſſimos & Regiæ vnius gloriæ vtilitatumque appetentiſſimos Ludouicus obtineret; tam raro Principum cęterorum inſtitutioni præeſſe pro dignitate priuati ſolent. Amans nimirum imperij eſt retinenſque regiæ originis diſciplina regnandi, deſcendere è ſolio, ſeque commodare cuiuis

de populo vix poteſt, quæ populis imperare conſueuit, & leges vel imperatoribus imponere. Degeneraret à claritate natalium, & redigeretur quodammodo in ordinem, ſi ab homine priuato ad Reges facile duceretur. Siue vti artium pleræque, exercitatione magis, quam contemplatione præceptiſque comprehenditur; autoritatemque haud paulo grauiorẽ hominis experti facta, quàm inexperti verba ſemper habuerunt: ſiue, quemadmodum è priſcorum temporum exemplis liquido cernitur, fingere ſe ad Principis nutus aut reuerentia aut adulatione aut vtilitate doctores illi ſolerent; neque tam Principibus plerique ſtuderent, quàm ſibi: ſiue id maxime niterentur, ne intelligentiores vnquam Principes aut eruditiores euaderent. Sic enim ſtatuebant, quandiu regij alumni diſcerent, tandiu ſe dominari; legeſque ab eo dari populis tuto poſſe, à quo reges ipſi acciperent. Adeo facultatem, quam voce traderent, re docere ambiebant, factiſque diutiſſimè tractare.

Quanto & ſcientiorem Delphinus & propenſiorem magiſtrum nanciſcetur? Quanta Galliæ felicitate teneram]pueri mentem ſponte ad omne decus inclinatamLudouicus inflectet, cuius ſtudium hoc vnum amorque eſt, publicæ rei ſeruire? Ideo ſedere ſe putat è ſolio ſublimem, noſtris vt commodis inuigilet: ideo corona caput, ſceptro manum ornari, vt & mente & factis iuuare meminerit ſuos. Quem quidem eius in Galliam animum non cernere, cæcitatis eſt; ingratæ mentis, non prædicare, Itaque non ſatis amori ſuo Princeps optimus

faciat,

faciat, regnum, quod res eius bellicæ tot vndequaque prouinciis amplificarunt, ſaluberrimis inſtitutis temperare, niſi filium vna ad regni incolumitatem inſtruat; non ſatis ſaluti noſtræ conſulere in præſens, niſi longe in conſequentes ætates proſpiciat; pridem certe ampliſſimis in nos prometitis pater patriæ, hoc vno tamen facto illuſtrius & filij iuxta & patriæ pater. Videt coalitam hic & conſertam tum filij vtilitatem tum populi collectam hac diſciplina vtramque pietatem, felicitatem vtriuſque ac dignitatem hac vna occupatione fundatam.

Elegiſſe deteriorem in Tiberio Imperatorem à ſuſpicioſo ſcriptore Auguſtus fertur, vt deſiderium ſui & admirationē per ſcelera ſucceſſoris augeret. Tu, cum optimus dici ſemper, quàm maximus malueris, optime vna maximeque Principum, famam tuam gloriamque filij virtutibus publicoque bono facile condonares. Sed nimirum illuſtrius eſſe ad gloriam propiuſque ad Dei ſimilitudinem putas, benefactis tuis quàm aliorum vitiis commendari: & cum optimum nobis Principem genueris, facturus deinde optimo meliorem, præconem relinquis vel in eius factis æternum tui, quia laudabilius deceſſori accidere poteſt nihil, quàm abſolutiſſimus laudatiſſimuſque ſucceſſor.

Quid vos autem hic ego tandiu moror? Quid argumentis in eo inſiſto etiamnum, quod oraculo firmatum eſt? Inſtar enim oraculi obtinet vox Principis. Fidem, Auditores, fidem Adeodatus ipſe ſuam obligauit: multis certiſ-

que

que rem authoribus tenemus. Commemorate, Palatini, quoties ad infantis Regii conſpectum in hæc ipſa verba parens amantiſſimus erupit, Ætatem tuam, Puer, quam accuratè ſanctèque fingam? Quam feliciter mores tuos grauiſſima & patris & Regis diſciplina excolet? Tantum mihi boni, vel in ſumma ſedulitate moderatorum atque ſolertia, parentis obitus & immatura regno ætas inuidit; tibi ortus tui celeritas meæque flos ætatis afferet O Regiam, o diuinam vocem! dignam quam reges omnes, quam ſecula omnia excipiant! O ſpem futuri certiſſimam! O incredibilem poſterorum felicitatem! Audite poſteri Promiſſo tenetur Adeodatus, cui defuit nunquam, niſi cum illud factis ſuperauit.

Finges ergo, Rex ingenium ipſe Principis, & finges quidem ea beneuolentia, quæ in optimo parente eſſe maxima poteſt; ea grauitate, quæ Regem decet; ea contentione, quam rei momentum poſtulat; ea ſcientia, quæ te iam ad gloriæ culmen euexit; ea felicitate, qua maiorem, niſi regnante te, non tenuit Gallia; cui parem ætas nulla feret.

Vnum eſt tamen, quod aſſentiri tibi minus poſſim. Tuis in malis regnandi celeritatem numeras, quam florentioris fortunæ fontem Gallia prædicat, quamque felicitatis eſſe tuæ duxerim & virtutis. Regnum felicitas maturauit, vt campum virtuti tuæ ampliorem aperiret: virtus ætatem occupauit, vt ſtupentem rei nouitate felicitatem deuinciret: euocauit vtraque gloriam, vt facta tua orbe terrarum vniuerſo diſſeminaret. Neque enim palam eſſet, quid

quid ingenij vi & innata regnandi doctrina potueris ipſe per te, ſi paternæ diſciplinæ obnoxius tot ac tantas virtutes, quas naturæ prope debes, in parentis curas refudiſſes.

Verum quam de ſe Princeps modeſte profitetur, tam magnifice illuſtriſſimi Præceptoris ſui in ſe officia prędicat: tantumq; HARDVINO PEREFIXIO Ludouicus, tantum Gallia debere ſe ſentit, quantum beneficium eſt, optimus intelligentiſſimuſquePrinceps. Regem noſtrum inchoarat parens; ille perfecit: eiuſdem honores viciſſim inchoauit Princeps, ſed perfecturus. Æquum ſane fuit, vt, qui Regem Deo Galliæque, qualem optabant, abſolutiſſimum formaſſet; idem Pariſiorum Antiſtes Galliam in primaria ciuitate prope totam & Deo & Regi acceptiſſimam præſtaret. Hoc in eo exornando Ludouici quaſi rudimentum eſt: cui modum ante non ponat vllum, quam Præceptorem Imperatoris Caroli Hadrianum æquarit dignitatis gradu, quem & nobilitate, & ingenij vi: & doctrina, & animi excelſitate, & comitate, & modeſtia, & omni virtutum genere longe ſuperauit.

Sed quoniam debilitatæ aut emortuæ potius præceptiones fere ſunt, quæ quaſi vitam & robur ab exemplis non habent: reſtat, vt, quemadmodum inſtitutionem Ludouici propoſitis Henrici Magni factis illuſtriſſimus iuxta ſolertiſſimusque præceptor abſoluit: ita Ludouicus ipſe abſolutiſſimam non in verbis modò, ſed in moribus quoque ſuis, Regis ideam Delphino proponat.

Vtinam autem, quam promptum id & pro-

cliue factu Regi eſt, tam eſſet expeditum oratori ad diſcendum. Fateor! AVDITORES, opprimimur hic infinitate rerum; in tanto lumine cæcutimus: quique virtute de maioribus, ferro de hoſtibus, religione de hæreticis extinctis ſingularibus prœliis de nobilitate, regni adminiſtratione de Regibus, bene factis de gallia, de Europa data pace triumphauit; triumphum de oratoria facultate agit cæteris haud paulo glorioſiorem. Perge tamen ſic vincere, Princeps, ſic triumphare: volentes pars erimus pompæ, quam infrequens tam nobilis: eam tui, quod agis dudum, imaginem deſcribere factis, quam ne adumbrare poſſimus quidem, quam exprimere deſperemus: quam non aſſequatur in heroibus ſuis antiquitas, quam poſteri ne fingendo quidem ſuſpicentur, quam Delphinus vnus imitetur. Ecquis enim eum repræſentare, quantus eſt, confidat totum, cuius facta ſingula panegyricum implent, cuius ne punctum quidem temporis, vt laboribus, ita vacuum eſt laude, qui ne otium quidem ſibi concedit otioſum; qui cæteros Reges pridem vicit, vt ſecum vno certaret: cuius facta, vel cum oculis vſurpantur, vix fidem ab intuentibus obtinent: cui demum cumulus eſſe prædicationis videtur, ſi quantus eſt, tantus narretur à nobis; tantus à poſteris habeatur.

Tradunt, Pompeio triumphanti, in ter pompæ fercula delatam victoris imaginem fuiſſe, quæ tota è gemmis conſtaret. Hæc plane Principis noſtri ſpecies eſt illuſtris tota & micans, in qua obſcurum aut vulgare nihil, nihil quod aciem mentis admiratione non perſtringat: vbi

vbi ſic fulgent omnia, vt lucem ſingula quæque plenam effundant.

Quo igitur pacto teneros obtutus in tantũ fulgorem Delphinus figet? niſi forte genetoſam in eo aquilam pater genuit paremque ſibi, quæ ſolem totum actibus neque conniuentibus oculis excipiat.

Itaque pacem ſibi primum ante oculos Delphinus ponet, in qua tirocinium Ludouicus, vtriuſque regni adminiſtri gloriæ ſuæ cumulum inuenerunt. Hinc Belgas cernet attritos cladibus, milite deſtitutos, vaſtationibus agrorum inopes, oppreſſos vectigalibus, deprædationibus obiectos, fractos denum animis, Gallicumque imperium vel neceſſitate expetentes. Illinc victrices Gallorum copias occupatis vrbibus, peragratis prouinciis, traiectis fluminibus, arcibus in Belgij meditullio firmatis, in vacuam prope poſſeſſionem inuolantes videbit. Voces audiet totius Europæ conſtantiſſimas, quæ, niſi ſine mora debelletur, periiſſe Hiſpano Belgium aſſeuerent. Penetrabit in arcanos pectorum receſſus, conſternatos Belgas, Hiſpanos ſpe omni deiectos tandem, Gallos victoriis præſidẽtes, populos omnes expectatione ſuſpenſos intuebitur. Peruadet deinde fluctuantem parentis animum, deque Galliæ fato ſecum ita deliberantẽ auſcultabit. Quid agis, Ludouice? Ergone inanes per te ſponte concidant tot annorum labores, tot ſumptus? Ergone palmam infringas ipſe in manibus, quam tot votis exoraſti? Iuuentus, bellorum ardor, fortuna, victoriæ,

nominis immortalitas præcipitem impellitis: intimos ſinus Belgium aperit. Quid moram iniicis, Galliæ amor quid pacem oras?

Quantum eſt, Auditores, quam Ludouico dignum, populi felicitatem felicitati gloriæque Principis in Principis animo non cedere? Quantum non abripi, in ætatis æſtu præſertim, tanti triumphi illecebris? Quantùm, abrumpere ſubito curſum, ſeque reflectere tantæ prædæ imminentem? Quantum, comprimere victoriæ inſolentiam, aſpernari fortunæ munera, martios animos regioſque frangere? Hæc cogitare, diuinæ in partem pietatis eſt; ſic vincere, pluſquam heroicæ fortitudinis: & cogitare verò & vincere, tuæ vnius eſt, Ludouice, virtutis. O bellum, vt deteſtandum nobis, ſic Ludouico vehementer optandum! Quantum horret vel bellorum nomen bellicoſiſſimus natura præliorumque cupidiſſimus Princeps, quia nobis funeſta ſentit: neque gaudere, niſi gaudium noſtrum poteſt, qui mala ſua ex noſtris æſtimat. Bellum ergo vel ſic cogitet, quia reſtinxit: bellum cogitet: vt beneficia in nos ſua meminerit.

Tu verò hac parte contemplare parentem, Delphine, ſic imitare. Bellum neceſſitate geſſerat, vt hoſtes virtute vinceret: hoſtes vicit, vt de ſe ipſe illuſtriore victoria triumpharet. Cum amplificare regnum maximis acceſſionibus poſſet, cumulare felicitate maluit, & illuſtrare optimis inſtitutis, quàm triumphis. Sic vinces, ſic aliquando triumphabis, Sereniſſime Puer, ſic vtilitates tuas com-
moda

moda populi, fortunam populi felicitas, ſtudia omnia populi amor ſuperabit. Pacem genitor dedit, facies æternam:aut bellum, ſi quod erit, neceſſitate geres,& amore pacis.

Verum quia incitandus ad omnia Regis abſolutiſſimi decora Delphinus eſt, factum alterum exhibeo, quod perpetuum quodammodo ſit, inque totam Principis vitam late fundatur. Ludouicum aſpiciat per ſe ſine Principe adminiſtro regnantem. Quam quidem ſingularem eius laudem inſolentia rei ac propriam fecit.

Senſit videlicet, ne nominis quidem ſui meminiſſe Regem, niſi regat: ſe imperio natum & ciuibus, non imperium ſibi ac ciues: principem non eſſe, qui in regno regnum amet vnum, populorum oblitus: traditam non alterius dominationis, ſed tutelæ ſuæ Galliam eſſe, cuius proſpicere tutor vtilitatibus teneatur: confugiſſe illam velut in parentis ſinum, vt foueatur; non vt eiecta indigniſſime amici cuiuſpiam permittatur poteſtati, cui non ſit ingenita paterna pietas: bonum publicum priuati iuris ſine iniuria non fieri: magnum eſſe Regem raro poſſe, cuius magni præter modum adminiſtri ſint: maieſtatis ſuæ prope reum eſſe, qui eandem communicando imminuat: extenuaſſe authoritatem, quam priuato, quem extulit, faciat obnoxiam: vti ſol cum pleniori lumine colluſtrat lunam, defectiones ab eâ patitur; obſcuritatem à vaporibus, quo maiores ſurſum excitat: agi ſidera omnia ſupremi cæli motu, non ab eorum aliquo motum accipere: ipſiuſmet Dei numen cognoſci â morta-

libus,non quia conſpicuus è ſolio eminet, quod non cernimus; ſed quia indefeſſus mouet omnia & efficit, quod aſpectu beneficiiſque ſentimus: ſic Dei extare in principibus imaginem, non quia præſunt, ſed quia regunt: regeſque in Gallia, non dominos dici.

Adoleſcebat in eas cogitationes defixus Princeps noſter, cum Regni adminiſtrum Deus ſancita pace ſubduxit. Siue hoc eius factum, quo vno immortalitatem ſperabat, extremum eſſe debuit, neque vulgaribus deinde aliis deteri: ſeu potius ne aut datum ab infante Rege adminiſtrationis publicæ munus adulto reſtitueret; aut ſi retineret annuente Ludouico, hac erga priuatum beneuolentia minus bene de republica, deque ſe ipſe Princeps mereretur. Stare quemquam in eo munere, vetabat Ludouici fama: ne ab eodem Iulius excideret, gratus erga educatorem regius animus faciebat.

Ludouicum hac vtraque labe abſoluit Deus: vt nos non in libertatem quidem ipſam, qua nunquam excidimus, ſed in nouam quandam plenioris libertatis ſpeciem, eius adminiſtratio vindicaret. Etenim liberior ſane eſt, qui nec pluribus, nec priuato paret. Rem licet integre priuatus adminiſtret atque moderate, Gallicam quodammodo libertatem imminuit, quia ſecundus à Rege imperat, neque duobus æquo animo paremus. Regnum biceps Gallia nunquam fuit: conſortem ſponte non admittit ſupremæ poteſtatis. Regnum eſt, non reſpublica: regnum eſt, caput vnicum poſtulat: reſpublica non eſt, è ciuis nutu non pendet, ſed Regis.

Quamobrem tempus illud, quo rem per ſe primum

primum Ludouicus geſſit, non libertatis quidem, ſed cumulatiſſimæ cuiuſdam libertatis poſtliminio reuocatæ tempus habebitur: auſpicabimur ab hoc anno faſtos libertatis longe ampliſſimæ; Ludouicum non Adeodatum, non Pacificum, vt alij,ſed Regnantem appellabo, Vindicem nobiliſſimæ libertatis.

Iam verò inueteratum erat in Gallia malum, cuius initia vix perpauci veſtrum, AVDITORES, viderant;finem, niſi Ludouicus regnaret, nemo ſperabat. Firmabatur exterorum Principum exemplis qui ſolium ſæpe cum implere totum non poſſint, in eius partem adminiſtrum vocant. Verſabatur in animo ardua tantæ rei moles,quam in immenſum augere, aut ad ſui commendationem, aut etiam ad deterrendum ab ea ſuſtinenda Principem adminiſtri ſolent. Quid quod aliquem forte ad rei ſummam inſitus erga gratioſos vocabat amor:cum fortunatius accidat optimo Regi nigil, quàm feciſſe felicem; Fauebat certe iuuenilis ætas inclinata per ſe ad liberiorem vitam, grauiorumque fere curarum impatiens. Neque deſunt vnquam in aulis Principum perofficioſi quidam, qui eorum iuuentutem onere tanto leuandam blande admoneant, & vero,quo ſunt in eos animo,non inuiti leuent.

Quanta parentis admiratione, quanto æmulandi ſtudio Delphinus hæc ſecum aliquando meditabitur?tanto felicor,quanto expeditius eſt tueri formam imperij tam ſibi, tam regno glorioſam, quàm nouam quandam,inuſitatam,periculoſam,aut impeditam certe inducere.

Vbi autem quotidianas eiuſdem ſollicitu-

dines actuoſumque ingenium intuebitur, vbi cernet, nomine Regem eſſe atque inſignibus, re omnia: ita bellicis rebus proſpicere, vt Antiſtes amplificanda religione, exterminandis hæreſibus, tribuendis ſancte ſacerdotiis videatur: ſic arcana regni negotia tractare, vt iudicem diſceptandis palam priuatorum controuerſiis æſtimes: ærarium tam integre tueri, vt ædium regiarum ſplendore publicaque magnificentia exhaurire credas: ita claſſes, commercia, regni amplitudinem, fœdera, externa omnia curare, vt leges deſcribat domi, reſtituat diſciplinam, difficultatem annonæ leuet; neque vberiorem vllo tempore gloriæ ſegetem, quam in ea ſterilitate, colligat: hæc inquam vbi puero moderatores inculcabunt, vbi otioſe & conſiderate contemplabitur adoleſcens, vbi in eorum partem & ipſe aliquando à parente vocabitur: aliam, credo, vitæ ſibi normam quæret? alios à parentis moribus conſectabitur? non inſiſtet tam glorioſis veſtigiis digniſſimus parentis æmulator? ad parem gloriam regia indoles non incendet?

Creſce igitur, adoleſce, DIVINE PVER, vt creſcat in te fortuna Galliæ, in te adoleſcat. Optandum iſtud nobis fati tui felicitas reliquit vnum: aut conceſſit cætera, aut auſpicatiſſimis iam ominibus confirmauit. Simplex, facilis, conſentiens, vnica omnium poſtulatio eſt, vita Principis. Quid enim deinde aut tibi flagitemus aut nobis? Pacemne? quam ortu peropportuno corroboraſti. An regni amplificationem? quam auus amantiſſimus Hiſpaniæ Rex tot prouinciarum ceſſione ratam paulo ante fecerat,

cerat,vt te maioribus omnibus ampliorem amplior Gallia ſuſciperet. An Europæ totius venerationem? quam tuis affuſi cunis gentium omnium legati profeſſi pridem fuere. An felicitatem Galliæ? quam efficis. An vbertatem agrorum? quam poſt anni ſuperioris ſterilitatem terris hoc anno cunctis ſupra ſpem omnem naſcens infudiſti:vt exorto coronæ ſidere fecundari ſegetes præter morem dicuntur.

O nouum orbi ſpectaculum! ſe ſuaque circumſpectant ſtudioſiſſime populi;priuata, publica,regem,Delphinum, ciues, exteros, ſacra, profana, omnia ſedulo contemplantur; imaginem animis cumulatiſſimæ felicitatis informant: neque præter diuturnitatem Principum quod precentur aut ſibi aut Principibus, occurrit quidquam: quia vota omnia infans ter maximus ſpe certiſſima ſuperauit. Hoc ergo poſtula vnicum,Gallia,quo cuncta continentur: viuat Ludouicus,Delphinus viuat: regnantem diu Ludouicum Delphinus videat, diu & ipſe regnaturus.

Fallor tamen: quæ nihil præterea quod preceris,habes; vnum habes, quod deprecere. Inuſitatum,ſed periculoſum,quoque regna florentiſſima corruerunt, tibi malum imminet, nimia felicitas. Quanquam ſalutaris eſt ſemper felicitas omnis, quæ ab optimo Principe venit. Hãc ergo tibi,Gallia,hanc Europæ,hãc religioni,hanc populis omnibus, hanc orbi terrarum vniuerſo votis ardentiſſimis precor ſpondeoque, diuturnam à Ludouico, diuturniorem à Ludouici filio. felicitatem.

ILLVSTRISSIMO DOMINO

FRANCISCO DE NEVF-VILLE

MARCHIONI DE VILLEROY.

NICOLAI DE NEVF-VILLE Ducis Villaregij, Equitis Torquati, Paris & Mareſcalli Franciæ, In Præfectura Lugdunenſi, &c. Proregis Filio.

AD DELPHINVM *quærenti aditum, nemo ſe mihi offert, quem maiori adeam ſpe, quod ambio adipiſcendi, quàm Te*, MARCHIO ILLVSTRISSIME. *Nimirum, & facilem ad Te, omnibus acceſſum, tua præbet*

bet cuiuis perſpecta comitas; & liberum tibi ad Regem ingreſſum aperit, tua, quâ flores apud illum, gratia ſingularis. Illuſtriores ſunt eius in te amoris notæ, quàm vt non omnium in ſe oculos admirationemque conuertant: ſed tua quoque ſumma in Regem obſeruantia, ſtudium, amor, quæ velut hæreditarias virtutes, vnà cum ſanguine à Parentibus hauſiſti, efficiunt, vt ab omnibus, Regis amore digniſſimus iudiceris. Neque verò ſola Regis in Te, propenſio, quod vſu venit in beneuolentia Principum gratiam peperit quâ vales apud illum; nec ille facit quidquam, niſi mentis inductione certâ, iudicioque magis incitatus, quàm procliuitate Indolis; Et iis Tu præſtas naturæ dotibus, quæ per ſe fauorem Tibi Regum, amoremque populorum facilè concilient. Sunt & alia in Te, Regij erga Te amoris incitamenta, NOMEN TVVM; *cuius quoties Rex meminit, toties Parentis tui, toties Patrui, toties Aui, toties Maiotum tuorum præſtantiſſima in hoc Regnum merita recordatur. Toties ei venit in mentem, quantum Abaui tui conſiliis deferret conſultiſſimus omnium, quotquot antea fuerant, Regum, Henricus Quar-*

tus; quantum Aui conſiliis ſe debere fateretur, Ludouicus decimus tertius; quàm feliciter ad huius Imperij gloriam, auitis laudibus, ſuccedens Pater tuus iis prӕterea armorum decus addiderit & non togâ ſolùm ſed ſago, non prudentiâ tantùm, ſed bellicâ fortitudine clariſſimus, vtrâque tum ingenij, tum ferri acie, oculo & manu, conſiliis & armis, ſibi & Parenti Ludouico Decimotertio, fidelem, ſtrenuam & glorioſam operam nauarit. Toties eius ſubit animum, difficillimorum temporum memoria, quibus eò magis enituit, Parentis in Regem tui, Patruique infracta fides, quò magis diuerſarum partium ſtudiis diuiſum Regnum, nouis in dies factionibus lacerabatur: Quibus temporibus, tantò effulſit clarius vtriuſque prudentia, quantò denſiorem turbarum caliginem, Alter in Aula, vbi impeditiſſimӕ res erant; Lugduni Alter, in quam vrbem intentӕ multӕ Prouinciӕ, eius, ſi à Rege deficeret, exemplum certò ſecuturӕ iactabantur, ſapientiſſimis conſiliis diſcuſsêre. Hӕc igitur cùm Regis amorem VILLAREGIO NOMINI *tam arctè deuinciant, quàm arctè obſtrictam Regio*

Nomi

Nomini, Villaregiorum fidem palàm teſtantur; non potes Regi, vel HOC NOMINE, *non eſſe chariſſimus: cùm præſertim huius clariſſimi Nominis decus, paternarum in Te, quas exhibes, virtutum radiis & ſocietate illuſtretur. Hoc certè ſpectauit Rex Sapientiſſimus, cum Te ſucceſſorem Patri in Præfectura Prouinciæ nobiliſſimæ deſignauit, qui, licet nondum puerilem prætextam exiuiſſes, ex iis quæ ſe in Te prodebant futuræ ætatis indiciis, & quaſi ſeminibus Auitarum laudum, Te imperatoriâ dignum trabeâ, Proregiſque ornandum cenſuit dignitate. Quid modò, cum illa, quæ dixi, præclara & illuſtria virtutum ſemina in pulcherrimos fructus, cum ætate anniſq; adoleuêre? Quam, inquam, cenſes Regis de Te expectationem eſſe? quam opinionem omnium, qui Te propiùs norunt? quam ſpem totius Galliæ? quam Lugdunenſium tuorum exiſtimationem? Audiuimus nuper, non ſine ingenti lætitia plauſuque, Regis in Parentem tuum ac Patruum amorem, vt illos arctiùs ſtringeret, aureo ſibi Torque deuinxiſſe: Sed fore etiam aliquando ſperamus, vt Te,*

cuius

cuius in Regem ſtudium ſummo eſt apud illum in pretio, pretioſo quoque, tum perſimilis Honoris Torque, tum Regij Amoris vinculo obſtrictum audiamus. Quem igitur deligere mihi poteram cuius fauore ad Delphinum gratior accederem, quàm Tuo? Cuius è manibus, plus commendationis apud Regem habere poſſet Munus hoc meum, quàm ex iis, quæ Regi, Delphinoque ſunt tam ingentium rerum expectatione deſponſæ? A quo denique, id me conſecuturum eſſe facilius, ſperare potui, quàm ab eo, cuius è domo, tot tamque inſignia in Societatem noſtram beneficia extiterunt; At præter illas communes, accedit propria mihi peculiariſque ratio, cur hunc Tibi DELPHINI GENETHLIACVM, *nuncuparim, Ipſi, Parentique Ludouico per Te offerendum. Memini enim, nec ex animo meo deletura eſt vlla Dies, illius Diei memoriam, quâ Lugduni cum eſſes in comitatu Regio, & Collegium Societatis noſtræ peramanter inuiſeres, eò Te, pro innata Tibi benignitate demiſiſti, vt tua illuſtrare volueris luce præſentiæ, Scholæ tenebras, in qua tum Rhetoricam tradebam; meoſque verbis humaniſſimis*

niſſimis excitare Diſcipulos, ad huius amorem Diſciplinæ, quam etiam nunc doceo. Enim verò honore ſtimulatus tãto, ſtatui tũ apud me, occaſio ſi ſe daret aliquando animum teſtandi erga Te meum non commiſſurus, vt tam eximij viderer beneficij parùm memor. Et nunc, cùm NATO DELPHINO *gratulandi fauſtum in hanc vitam Ingreſſum, mihi munus obtigerit, quærenduſque fuerit aliquis, qui Regio me Puero ſiſteret, & meæ gratulationis officium ſuâ gratiâ commendaret, Tu denique occurreris omnium maximè idoneus, qui id quàm optimè præſtares mirum in modum gauiſus ſum, oblatam eſſe tam præclaram mihi occaſionem, & noſtri erga Regem animi, hoc lætitiæ noſtræ publico Monumento, per gratiſſimum Regi hominem ſignificandi, & Amoris in Delphinum noſtri officia, per officioſiſſimum è Proceribus vnum exhibendi, & meæ ſimul in Te obſeruantiæ, huius Lucubrationis nuncupatione, ſignum aliquod palàm edendi. Faciam equidem vt vel hinc omnes intelligant, quantùm ego tua apud Regem gratiæ, quantùm effuſæ in omnes humanitati tribuerim, qui ab hac, Tuum mihi,*

ab-

ab illa Regium Orationi meæ fauorem conciliatum iri ſperauerim. Quod cum vtrumque acceptum ſim tibi relaturus, tum etiam referendæ Tibi erunt à me, aut potiùs, habendæ immortales gratiæ; efficiendumque omni ope, (idque me facturum ſanctè polliceor) vt, me nunquam huius accepti beneficij pudeat, Te nunquam pœniteat collati. Vale.

EXCELLENTIÆ TVÆ,

Addictiſſimus

FRANCISCVS POMEY
è Societate IESVS

GENETHLIACVS DELPHINO.

Auctore

FRANCISCO POMEY SOCIETATIS IESV.

ADeſte Gratiarum amœnitates, puriores illecebræ, feſtiuitates, orationum gaudia & riſus amabiliores adeſte. Argumentum mihi dicendi ſumo, in quo illigare decet omnium lepores verborum; in quo ſplendeſcere omnes Eloquentiæ fluſculos, omnes ſermonis gemmas effulgere, lucidioreſque neceſſe eſt ſententiarum intermicare ſtellulas; in quo, quidquid vel ad delitias blanditiarum, vel ad hilaritatem lautitiarum, vel ad ſuauiora mentis auriumque lenocinia, rapacioris habet dulcitudinis, compta affluenſque veneribus dicendi ratio, totum illud ad ſummam dignitatem colligendum, artificique manu digerendum eſt, quò materiæ claritati, formæ nitor vtcunque reſpondeat, & argumenti maieſtatem, venuſtas dictionis aſſequatur.

quatur. Ornandus eſt mihi quippe Delphinus, in quem omnia pariter omnium laudum genera confluunt; in quo nihil humile præter Cunas, nihil anguſtum præter Corpus, nihil non perfectum præter ætatem: vt proptereà, culta & exquiſita, quæ Puerum elegantiſſimum; ſublimis & magnifica, quæ Regium Infantem; ſuauis & numeroſa, quæ numeris omnibus abſolutum, Regiæ dignitatis Heredem deceat, deſideretur oratio.

At enim, quonam pacto id aſſequar? quóve conſilio illuſtrare molior pigmentis lucem, & adſcititiis natiuam decorare pulchritudinem ornamentis, Delphini dum Natalem celebrare aggredior Diem? Haud me latet, quantam ſubitura ſit temeritatis notam & arrogantiæ, plebeia & abſoleta dictio, adrependo audacius ad Principis Puelli Cunas: Nullus tamẽ me pudor abſterrebit ab incæpto, aut vlla me naufragij in hoc ſcopuloſo laudum Oceano faciendi, formido reuocare poterit, Delphino adhærentem. Suſtinebit & ipſe forſan, pro innata ſuis Natalibus humanitate generoſa, Arionem hunc ſuum, dum ipſius Natalitia concinit, vt ne impoſito ſuccumbat oneri, hauriaturque rerum prædicandarum fluctibus, & magnitudine miraculorum obruatur. Neque verò infantiam verebor prodere meam, in laudando Infante Regio: Eius laudes glorioſius ducam ſine lau de proſequi, quàm aliarum rerũ exornatione colligere nomen ac decus aliquod; Maiori vertam honori, balbutire hic pueriliter, quam aliunde mihi, vt maximè poſſim, benè dicendi famam conficere; & glorię præmium con-

conſecuturam multò illuſtrius, orationem iudicabo meam, abjectam licet ac iacentem, modò Delphini iaceat ad pedes, vagientis in infantili purpura, quàm ſi magnificentiùs ſe inferens, ſupremis omnium ſoliis Regum inſideret.

At, me infortunatum, vel in ipſo exultantis fortunæ ſinu! Hæreo iam in exordio; ipſo in aditu incipio quærere exitũ; adeò impedit copia delectum; & turba rerum, orationis turbat ordinem. Loquar? Eripit mihi verba gaudium. Sileam? Affluunt ad os, animi ſenſa, conceptæ nuntia lætitiæ; & linguam dum certatim occupant, ita impediunt irretiuntque, vt quid primum dicam, quid poſtremum, prorſus non habeam. Me præterea, vni intentum, varias diſtrahunt in partes ancipitem, hinc Proles regia, illinc regij Parentes. Ad Puellum Principem dum me conuerto, Rex ipſe Pater auocat oculos ad ſe. Admirabundus dum ſpecto Regem; me Regina vel inuitum rapit. In huius ore, oratio vix acquieuit, cùm illam ad ſeſe iterum Ludouicus abripit. Ad LVDOVICVM dum reuertitur, rursùs abſtrahitur ad DELPHINVM; totaque quodammodo eius in Cunis abſorbetur. O gratam mirabilemque ſolicitudinem! ô anxietatem iucundam!

Quid tu mihi quoque Gallia? quid in mea irrumpens etiam gaudia, tibique ipſa plaudens obſtrepis? Quid ex me ob nouam hanc, ad LVDOVICI Victorias, Paciſque reſtitutionem tuæ in Regio Delphino, acceſſionem felicitatis ac gloriæ, gratulationem requiris? Apud te potius, de te ipſa expoſtulare conuenit, quòd nimi

nimirum felicitate nimiâ penè laborans, nimiâ facis penè vt lætitiâ laboremus, ſaltem ne ſatis illam capiamus, nec vllis plane verbis explicemus. Quot enim miracula, ſuperi! annorum minù: quam duorum ſpatio concepiſti, edidiſti, ſparſiſti per orbem, omnium linguis exhibuiſti prædicanda, omnium laudibus in cœlum extollenda præbuiſti! Verbis tribus, terna ſolùm enumero, vnde innumera manarunt. Primum fuit illud ad vniuerſæ incolumitatem dignitatemque Reip. Chriſtianæ ſalutare imprimis ac glorioſum, quod LVDOVICI noſtri Genius, geniali face belum reſtinxit: at quod bellum; quo nempe Europa tota per annos quadraginta, miſerando incendio propè conflagrarat. Alterum, quòd inermis & delicatulus ille Genius idem, ſolo pugnans amore: triumphantem ſubegit Borbonium Martem, & Victorem ſub iugum miſit, & ex hoſte Coniugem fecit. Tertium, omniumque facilè maximum, THERESIA ipſa eſt, Victoris Ludouici Victrix; cui proinde victus ille deuinctuſque ceſſit in præmium Victoriæ. Nec ipſi ſterilis Victoria fuit. Paucos enim poſt menſes fructum tulit pepe-ritque ampliſſimum, cum edidit in lucem Delphinum.

O Fructum Pacis præcocem, tantóque dulciorem, quantò acerbiora fuerant mala, quæ pertuleramus! O Florem primæuum, cuius vel odore, dolorum recordatio preteritorum iucundiſſima redditur! O Sydus exoriens, cuius primoribus radiis, miſerrimorum temporum diſcuſsâ caligine, expectata & expetita tandiu, rediit in orbem tranquillitas, & cœlo ſerenitas remeauit. Salue, Ocelle orbis Chriſtiani. Salue,

Delitium Amoris, Honoriſque Corculum,ſpes ſumma Galliæ, Apex regiæ Gloriæ, Felicitatis publicæ Aurora,generis Decor Borbonij,Decor Auſtriaci, Europæ clariſſimum ornamentum, Eloquentiæ nobiliſſimum argumentum. Erro; monumentum potiùs tumlumque dicere debui. Quæ enim tam virilis eſt,tamque vegeta dicendi facultas, quæ vbi Te primùm inſpexerit, ſine ſenſu ac ſine voce præ admiratione non concìdat, tuiſque non reperiat in Cunis ſepulcrum toties,quoties,aut quibus progenitus Parentibus, aut quo loco fueris ortus, & quando natus,& quid Te nato factum futurumque ſit, aggredietur explicare? Aggrediar tamen,attingamque ſingula, animo ad quoduis exiſtimationis diſcrimen,in Tui decus & gloriam comparato; & ab iis initium dicendi ducam, à quibus Tu principium duxiſti vitæ.

Genuit Te Ludouicus, Illuſtriſſime Puppule, Thereſia te peperit. Quis illo Rex in terris maior, quæ fuit vſquam aut eſſe potuit Regina felicior? Parentem habes, diuinitùs conceſſum Galliæ, miraculoque editum, in ipſoque educatum Virtutis gremio & gloriæ ſinu; cuius Pueritia tenerior, Pietatis ſenſu iam firma & adulta floruit; cuis floridior Adoleſcentia protulit Majeſtatis maturæ fructus; cuius maturior nunc Iuuentus,abſolutione omnium laudum, coronata pulchrè reſplendet. Pater eſt Tibi, Puelle Maximè, æquitate morum Ludouico Iuſto Parente, aut iuſtior aut æquè iuſtus animi magnitudine, Auo Henrico Magno ſuppar, atque etiam multis magniſque virtutibus haud paulò major. Nam quis illo, vel in rerum diui

diuinarum cultu religioſior?vel in priuatæ vitæ moderatione perfectior? quis cumulatior omni genere laudum, quis omnibus meritorum ornamentis illuſtrior? Deinde Tibi Mater eſt, Ludouico Patri, (vt verbo exequar, quod nulla ſatis oratione poſſit comprehendi) vbique par, ætate, dignitate, virtute, indole, rebus denique omnibus, quæ vel ab hoſtibus amorem, vel ab inuidis admirationem extorqueant. O talibus, Te felicem, Delphine, Parentibus! O illos, Te ſuſcepto, feliciſſimos! O Te, illoſque, omnibus iis feliciores Heroïbus, quorum Effigies ipſo in loco viſuntur, in quo es natus!

Fuit is Locus, Palatium Fonbellaquenſe, quo nihil vel amœnius, vel auguſtius & magnificentius toto Regno cerni, atque adeò totâ Europâ poteſt. Collucent omnia, ſumptuosâ illâ in domo, auro pigmentiſque diſtincta pretioſis, atria, gradationes, aulæ, conclauia, thalami, cubicula, laquearia. Sed nihil æquè retinet oculos ſpectantium, ac laxæ amplæque Porticus ambitioſo cultu exornatæ; in quibus inter cætera, Galliæ Regum Reginarumque Icones, ducta ipſo ab Imperij ortu, perpetuataque ad nos vſque ſerie, longo ordine in parietibus effictæ, natiuis illuminatæ coloribus, & ad viuum expreſſæ, incredibili tum oculorum voluptate, tum animi delectatione conſpiciuntur. Quas Heroum Imagines, Regina dum geſtaret vterum, cùm ſæpè perluſtraret oculis, adſcriptáque ſingulis Elogia, inter inambulandum perlegeret; & Ludouicorum imprimis, Ludouici ob amorem ſui, ſingulorum, attentius ora ſpeciemque contueretur; quàm ſæpè, quem in

vtero

vtero ferebat, parem illis omnibus,ſibi Ludouicum precata eſt, maternoque incitante affectu, in has futuri præſagas erupit voces!O ſi meus, vbi adoleuerit, Ludouicos omnes,Filius repræſentet!O,huius ſi Ludouici Primi inuictum referat animi Robur! O, ſi huius Secundi Pietatem imitetur; illius Tertij, Militaris ambiat Diſciplinæ gloriam; Septimi huius, in calamitoſos Miſericordiam æmuletur;Octauum Generoſitate referat,Nonum exhibeat ſanctimoniâ vitæ; Decimum Prudentiâ; Humanitate vincat Duodecimum; Decimum tertium, Iuſtitiæ laude aſſequatur! Quanquam, quid vota (inquiebat, ſibi deinde ſubindignans) fruſtrà concipio? Quid ambitas ſuperuacuâ cupidine corrogo, & alias ab aliis Ludouicis, huic meo quem geſto intra ſinum, ſingillatim requiro laudes; An non, vnum ſi Ludouicum reddat Patrem, cæterorum décora vnus omnia in ſe complectetur?Ita ſpero,pergebat,Parentis olim adæquabit virtutem Filius; ſicque non ſolùm nômine ac numero, verum etiam rerum præclarè gerendarum magnitudine, Ludouicos anteceſſores quatuordecim, Decimus Quintus antecedet. Talia Secum dum agitaret THERESIA, oraculáque ſibi caneret, concepto imprimebat fœtui, quæ concipiebat animo vota: Et quod prægnantibus vſu venit, vt ſi quid concupiſcant vehementiùs, deſiderio illo ardentiori,ſeu candente ferro & ſigillo quodam, rei cupitæ ſpeciem,fœtui quem ferunt, inurant; id ipſum, at nobiliori longè conatu, ſucceſſuque feliciori, grauida experiebatur Regina. NempèRegiæ Proli dotes illas Regum eximias

&

& Auorum laudes ingenerans, Patris ſpeciem auguſtam illam,quâ ſe Regem probat, imprimebat in eius Corpore; Indolem verò animi nobilem ac generoſam exprimebat imprimis in eius Corpore,Indolem verò animi nobilem ac generoſam exprimebat imprimis in eius Animo.

Interea creſcente fœtu, intumeſcebat Thereſiæ vterus, maiuſque in dies euadebat onus; at quò fiebat grauius, ſentiebatur eò gratius;tametſi inuſitato Prolis pondere, vix illa ingredi, vix mouere ſe poſſet loco. Audiui equidem, qui visâ per id tempus Reginâ, tumente extra modum gremio,ſibi viſum eſſe diceret, totum illius abiiſſe Corpus in Vterum; adeò grauis ac turgens inuſitato more eminebat. At, ſenſiſſet ille,meo quidem iudicio, dixiſſetque ſanè præclariùs,totam ſibi viſam eſſe,abiiſſe in gremium Thereſiæ Animam; eiuſque Sinum, votorum ipſius omnium & cogitationum fuiſſe Centrũ. Et verò,non contenta alendo fœtui, cæterarum more prægnantium, ſubminiſtrare ſanguinem, ipſum inſuper ſubminiſtrabat quodāmodo animum ſuum; impendebat ſe ipſa totam efformandæ Proli, piis illam animabat ſuſpiriis, confirmabat precibus, & continenti roborabat Numinis imploratione, curiſque perfectam incredibilibus,ſtudio cuſtodiebat admirando.Nouerat videlicet, qualem quantumque geſtaret aluo Theſaurum;quàm pretioſum, gremij conchâ vnionem ferret incluſum;quàm ſplendidũ vteri ſui nube,Sydus obuelaret. Nouerat comprehenſam fœcundo illo ſuo ſinu contineri ſpē reipublicæ,ſplendorem Regni, decus Eccleſiæ,
deli

delitias Galliæ, ſubditorum felicitatem, Europæ gloriam, & amorem omnium ordinum, & votorum omnium metam.

Sed hoc ipſum meliùs multò nouerat Imperij Francici Moderator ac præſes Genius. Idcircò tantis adſpirabat votis & curis; ſupremámque velut manum impoſiturus operi, Alumni ſui Corpus Animumque in vtero formabat materno, mira induſtriæ cœleſtis edens argumenta, tenerrimique ſimul notas amoris imprimens, Diuinâ quippè illa vi, quâ pollet, per omnia diffuſus membra Auguſtæ Prolis, & ipſam etiam peruadens Mentem, intimoſq; penetrans ſinus, nunc ardorem ingenerare animo, inſtillare pectori robur, cordi generoſitatem ſatagebat inſerere: Nunc afflare oculis vigorem, lepôres illigare labiis, affundere decorem genis, conſiliare fronti maieſtatem, puriores aſpergere toto ore veneres: Nunc dextram ſeptro, humeros purpuræ, coronæ verticem, regiæque dignitati corpus aptare regiiſque virtutibus animum: quoad demùm numeris abſolutum ſuis, dignumque redditum, qui perſonam Delphini cum dignitate ſuſtineret in theatro gloriç maximo, deduxit tandem ad vitæ limen, conniſuque feliciſſimo produxit in lucem.

O LVCEM auream! ô Diem roſeam, purpuream, gemmeam! Diem anteponendam ſæculo, nulla obſcurandam caligine temporum, æternâ conſequentium annorum celebratione decorandam, quâ in vitam, Delphine, ingreſſus es? quâ exceptus inter oſcula plaudétium Gratiarum, primores Maieſtatis inſitæ radios ſuauiſſimè diffudiſti! O Menſem Martium, menſium

principem,quo primùm, Gallici Proles Martis animari cœpit in ſinu Matris, eundémque tenens cum Sole curſum, ſimul atque aſtrorum ille Dux iniit nouembrem,nouem pariter menſium,hic ImperatorPrincipum.abſoluit orbem, & glorioſioris vitę iniuit orbitã.Renidere tum cœperat Zephiris cœlum. & pubeſcere floſculis ſolum,cum Regius ille Flos Borboniæ Stirpis, primam ſpirauit auram, primâ illâ aurorâ vitæ?& licet conuolutus adhuc in gremij Materni purpureo quaſi calyce, odorem tamen lõgè latéque ſparſit,exorituræ cum illo felicitatis ſummæ prænuncium. Tum verò ſibi viſa reuireſcere & vernare Gallia, tum ridere Regnum, & ſæculum redire aureum, & effloreſcere Regiæ gentis Stipitem,omnibuſque bonam ſpem dare, bonorum omnium affluentiæ, proximo Delphini ab exortu colligendæ. Et planè, ita vt ſpes dabatur,accidit: quâ enim tempeſtate fruges colligimus,collectas condimus, incipimuſque frui conditis,Regalem hũc ab aluo parientis, velut ab arbore maturum collegimus Fructum,intimoque pectoris condidimus ſinu, vt ipſo, quàm poterimus diu,perfruamur.

SED enim, quàm fortunata fuit illa dies,quâ Regius introiuit in vitam Puer? Talis profectò qualẽ felicioris ominis fingere nemini vel optare liceat. Orituro nimirũ dies menſis effulſit prima;nec enim aliâ decuit vitam auſpicari, primum Europæ Principem:nulla, inquam,debuit præceſſiſſe in menſe dies diem illam, qua Infans in lucem procederet, qui Principes præcedit omnes. Kalendis ergò natus eſt: ſed quibus? iam dixi; Nouembribus:quibus videlicet

non

non Iuno, neque Ianus mala Numina, vanaque nomina,ſed triumphalis Beatarum Mentium ac Diuorum in cœlis regnantium præſideat Chorus:His editus Kalendis eſt, quæ cæteras ſplendore præcellunt,dignitate præeunt, celebritate ſuperant, quæ publicis honorum præconiis anniuerſariaque per vniuerſum orbem Chriſtianum gratulatione colũtur:quibus aperitur cum menſe Cœlum;quibus terras inter & aſtra, ſalutarium commercia redintegrantur influxuum; quibus mortalium immortaliumq; cœleſte fœdus ſolemni ritu renouatur;quibus vltrò citróque, hinc vota, illinc beneficia commeant; hisDelphinus kalendis eſt natus.O ſuperi!quod felicius omen potuiſtis Principi noſtro, quam præſagitionem dare fauſtiorem,vel eximiæ ſũmæque virtutis,vel cœleſtis diuinæque indolis, vel complexionis omnium laudum?Huic præeſſe credo ambiebãt Ortui Regio Cœlites ſinguli: Genius eſſe quiſque ſtuduit; & ſtudio in Delphinum certaſſe putem,vt dicata cuique die naſceretur:quod quia ſingulis concedi nequiit,cunctis conceſſum eſt; & præſtituta fuit dies omnibus ſolemnis, ac ſacra, omnium vt ſtudiis ſeruiretur.& ſua ſimul in Infantem Regium,diuina munera vniuerſi profunderent.

At, ô viciſſitudinem rerum humanarum! ô caſum lætum ſimul & luctuoſum,fauſtũ iuxta & lugubrem! Eo ipſo die, quo Delphine hauſiſti vitam,mortiferâ tabe Hiſpanus Infans & exhauſtus. Aperuiſti tum primùm in lucẽ oculos,cùm ille vltimùm in morte condidit,Periit ille Patri,Eius dumTe Filia peperit;diminutus cùm Filio Socer,cùm Gener auctus.O fallaces

hominum ſpes!ô acerbum fortunæ ludum!Vnà feretrum ſubit Infans,& Cunas Delphinus:tædas ſimul accendunt, Hiſpania ferales & Geniales Gallia : funereæ illic, feſtiuæ iſtic Pyræ collucent Vndenã mutua hæc tanta, Germani Gemini'ora diſſenſio,alter vt occidat,dũ oritur alter? An tu,Regie Infans, honoris causâ,quod Legatus nuper abnuerat in Anglia,executus es in Hiſpania:Delphino certè orĩeti ceſſiſti moriens & venienti in lucẽ;non de via ſolùm, ſed de vita etiã deceſſiſti. An verò timuiſti Heſpere,Borbonij exortum Syderis, & idcirco maturaſti in occaſum ruere,ætate non maturâ?

Sed quid mirum vitali eſſe defectum luce Heſperum cùm Sydus noſtrum vel ipſo in exortu,Merediana luce conſpicuum refulſit? Nimirum,ne quid naſcenti deeſſet Delphino, ad cumulum gloriæ, non Dies ſolùm omniũ fauſtiſſima, ſed Hora etiam omnium clariſſima, Natalibus præluxit illuſtriſſimis, quo, quid ad commendationem præclarius? Edantur in nocturnam lucem, obſcura capita; Orientem naſcentes Solem ſalutent, quorũ creſcere ſplendor poteſt;Occiduum ſpectent,qui ab auita poſſunt claritate deſciſcere, & obducturi ſunt tenebris nomen:Reges ſolos, ſolo decet naſci meridie, ad quorum nempe dignitatem,ornamenti accedere nihil poteſt.

Nihil certè quidem accedat ad noſtri Principis Natalia, quibus eâ quâ decuit, magnificentiá celebrandis, ad certamen vſque, Horas, Dies, Menſes, Tempeſtates & Elementa, Cœlos ac Terras cõtendiſſe perſpeximus, vt Horarum ſplendiſſimâ, Dierum Principe, Menſe fau

fauſtiſſimo, Tempeſtate conueniētiſſimâ naſceretur;non Hybernâ vtique;quid enim illâ aſperius? quid Delphino amœnius? Totus eſt ex humanitate concretus. Non Æſtiuâ;nam quid eius ardoribus immoderatius?quid noſtro temperatius Principe? Totus eſt ex moderatione, conditus. Non vernâ, quâ nihil mollius: Delitiis infracta Delphini virtus, & ad laborū patientiam,annorum acceſſu corroborāda,ex inanium cōtemptione voluptatu[illegible]generoſiùs efloreſcet. Automno ergò vni ſternere cōceſſum fuit auguſtiſſimi Puelli cunabula, adeoq; huic vni officio ſe immerſit occupauitque totum,vt ſui ruris penè oblitus,ſuarum curā viſus ſit abieciſſe frugum, cum Regium hunc Gallia fructum edidit,diuinoque munere perductum ob maturitatem collegit.

Sed hæc præceſſere;quanto illuſtriora Principis ortum ſubſecuta ſunt honoris certamina! Certarunt vrbes omnes ac Prouinciæ,nō huius modo Regni ſed exterarum gentium, publicis ab hocRegio cōceptæ Partu lætitiæ ſignis Certarunt Artes, ingeniorum laude atque ſolertiâ, ſubtilitate operum, machinationibus variis, arcubus, pyramidibus, obeliſcis,emblematis,ſtatuis,tabellis,trophæorū erectione, excitatione templorum, feſtiuorum eiaculatione ignium, aliiſq; id genus molitionibus,& argumētis immenſi gaudij.Certarūt omnis ætatis;omniumque ordinum viri fœminæque, pueri ac ſenes, ciues & aduenæ, patritij atque plebeij, ſuæ in Puellum Principem obſeruantiæ,ſtudiiq; ſignificatione multiplici,ludis,choreis,epulis tripudiis,cantibus,plauſibus, precibus, ſupplicatio-

nibus, ſolemnibuſq; ſacrificiis. Et ne cuiquam adimeretur exultandi libertas, exempti ſunt captiuis compedes, ſolutaque reorum vincula, & ſubleuata calamitas egenorum, ac ſuſtentata largitionibus inopia eſt.

Glorioſius tamen in hoc genere, nullum extitit, amabiliúſque certamen, quàm Virtutum. Audire mihi illas videor, ad Infantis Regij Cunas præclarâ laudum æmulatione diſceptantes: Cum enim [illegible]rnādo Delphino, certatim omnes laborarint; nullaque ſit quæ non illum habeat ſuis obligatum beneficiis, ſingulæ ſibi illum peculari quodam iure vindicant, ſibi præ cæteris deberi, ſuum eſſe contendunt. Ego, inquit Prudentia, Regium Delphini Caput, dignum Regia Mente hoſpitium efformaui; Ego, vaſtam illam, quæ ſe in eo porrigit, Frontem explicui, & capaces qui ſub ea latent, Cerebri ſinus, concipiendis, fouendiſq; magnis conſiliis comparaui, quò ſimul atque robur ætate sūpſerit, primo in viręflore, maturos efferat Iucicii fructûs. Ego, ſubiicit Temperantia, natiuam illius Indolem ſingulari erga Virtutem propenſione temperaui, vt ne vllo vnquā emolleſcat vſu voluptatum, futilibuſq; deliciis fluat. quid Fortitudo? Annon meum eſt, inquit, munus, generoſus ille Ardor, quo, in Principis Pueri venis æſtuat Paternus ſanguis; quo Martius Borboniæ Gentis Spiritus, in tenello eius pectore incaleſcit? At, futura illa ſunt, excipit Modeſtia, ſpéq; duntaxat ſuſtentantur: Mea ecce iam conſtant beneficia. Quòd enim florere iam in genis incipiat Pudor, quòd non accerſitæ fuco Gratiæ in ore rideāt, quòd Regius in oculis caſtè lenocinetur

&

& colludat Lepos meum certè hoc decus eſt,& omnium quæ inDelphino micãt lõgè pulcherrimum, maximéque omnium aſpectabile ornamentum. Ita eſt,inquit Religio; Vobis ſe quidem obſtrictũ ſingulis ille profitebitur;at ſeſe mihi totum, quantus nunc eſt, ac futurus eſt, debere prædicabit. Quis enim Ludouici Nuptias cum Thereſia conciliauit?Quis regias ſuaſit Parentum ad Superos preces, quibus obſecundare cœlo, Nuptiali Anno Regina concepit?Quis vota ſuggeſſit,quæ illa pro conceptæ Prolis incolumitate nuncupauit?Annõ meo factum eſt beneficio, quòd partũ feliciter ediderit, quòd pariẽti Cœlites adfuerint,quòd totius Regni votis obſecutũ ſitNumẽ & noſtra Superi vota ſuperarint?Nonne denique impulſu meo ipſe Rex, ſuſceptam pio cõplexu prolem Aris intulit;Diuinumq; Munus agnoſcens, Deo illum mihiq; totum conſecrauit?Ego propterea natum excepi ſinu Principem;EgoAltricis fungor vice,ſenſimque præparo ad primos ſapientiæ ſatus excipiendos Alumni mentẽ. Nec verò meis malignè curis reſpõdebit &optatis Infans; haud ex vano auguror:Quod enim ſuæ, quod meæ,quod diuinæ debet gloriæ cum fœnore perſoluet, cum mea me in regna ſoliumq; referet, cum ſubditos meæ ditioni populos à tyrannide vindicabit, cùm impios meis arcebit à templis,& ſacrilegos ab aris depellet,&amiſſo me reddens ſplendori, in priſtinum ſummæ dignitatis gradum reſtituet.

Auditis Perduelles? Auditis Hoſtes Numinis? Audis, necdum conſternatus exanimaris, Turca truculente:Imò,pacẽ iam timidus effla-

gitas, qui noſtro nuper orbi, bellum interneci-
num tumidus minabaris. Audis &tu, Caluiniſta
impie, necdum tuarum sẽtis fraudũ cruciatus?
necdum ingruẽtis exitij metu cõtabeſcis; Imò,
iam ſupplex ſubdis ſupplicio collum, qui nuper
ferox efferebas ceruicem inſolentiùs, legumq;
omnium ſuperbè detrectabas iugum O te ab-
iectam, afflictamque malè ſana Rebellio! Si va-
gitu te iam ſuo terret imbellis, Puſioquid, cùm
olim in ſcelerata capita, capitalibus tonabit Edi-
ctis? Si te vel faſciis cõſtrictus; laqueo tenet im-
plicatã; quid, cùm exſolutus impedimẽtis pue-
ritiæ, armatuſque fulminãti ferro, toto in te, im-
petu formidabilis irruet? Si tibi, ô Viperina Pro-
les, vel in cunis iacẽs Infãs hic Hercules, fauces
elidit Peſtilenti veneno turgidas; quid, vbi cor-
pore animiſq; robore ſumpto, vltricéq; inſtru-
ctus clauâ, exitiabilis monſtri reliquias perſe-
quetur, tartaream que Hydram ferro atque igne
conficiet?

Conficiet inquam, & quod cœpit fortiter Pa-
rens inuictiſſimus; ad exitum fœliciter perducet
Filius ni preuertat ille, & cœptis imponere ma-
turet faſtigium. Et certè hoc tuũ eſt opus, hæc
tua, vt ſperamus, gloria, Ludouice Adeodate.
Alia Filio decora, alioſque Cœlum triumphos
deſtinauit. Quin ergò ſtatim in illos Patriæ Re-
ligionis Hoſtes, totum quo exardes, effundis
odium? Hocà Te tua ſperat petitque Gallia,
quæ dolet tui Militis interea virtutẽ debilitari
otio, & emolliri pace robur, ferrumque hebeſce-
re, dũ incurrũt, in quos illud glorioſè exerceas.
Hoc à Principe Eccleſiæ Filio, ſupremus Eccle-
ſiæ Moderator, hoc aliarũ Gentium Reges ex-
pectant

pectant, Tibique occaſionem inuident præclaram illã, tuo Nomini, Hæreſeos profligatione, immortalem gloriam comparandi. Hoc deniq; vel Rebelles ipſi, tam optare videntur, quàm extimeſcere, dum acerbiori ſe plecti ſupplicio putant, quia lentiori, ducturi ſummæ gratiæ loco, pœnam celerem ac poſtremam.

Quin & Delphinus ipſe tuus, ſuſpiriis crebris, lachrymiſque, cùm aliter non poſſit, hoc à Te videtur poſtulare, vt ſcilicet ad remotiora cõtendenti caſtra gloriæ, viã expeditã aperias, nec in Regno quidquam reſideat tuo, quod ipſius morari aliquando impetum poſſit. Tantum enim tamque vehementem, Spiritus Cœleſtis ille, qui Natalibus præfuit, eius Animo, vt augurari fas eſt, impetum impreſſit, vt vnius limitibus regni, coërceri nullo modo queat: ſpatia honoris ampliora poſtulat, per campum latiùs patentem excurrat neceſſe eſt, vberiorem ambit gloriæ ſegetem, noua conquirit lõgiuſque petita argumenta meritorum, abundantiorem ſibi depoſcit materiam laudis. Quibus cõſiliis, ne tua Clementia moram iniiciat, quaſi timẽs, blandas mutaſque adhibere videtur preces, vt dum adoleſcit in ſpem tantam, extinguas penitùs Hæreſin, exſcindas ſtirpitùs hanc Erebi peſtem, nullam tam tetri horrendique mali fibram vlla in Regni tui parte hærere patiare. Id inquam, vnum ſupplex, vt eſt, & iacens in Cunis, à te contendit, vt poſtquàm Legibus ſanctiſſimis, bonorum ſtudia promoueris, improborum audaciam libidinémque refutaris; poſtquàm omnes Regni Ordines, ad æquitatis normam compoſueris, tùm optimis

inſtitutis, cùm præcipuè magnarum quibus in-clareſcis, exemplo virtutum & populis iura de-ſci ipſeris,& temperaueris auctoritate ac ſapien-tiâ Europam vniuerſam, iter ipſi, victoriis tuis munias, ad ſubigendam Aſiam, obterendamque perfidiam Turcæ.

Hoc,vt monui, Hæreſeos Fatum eſt, vt tuâ Pietate corruat; Id Arauſio ſuis truncata propugnaculis, id Geneua lethali angore diu cruciata adhucque trepidans, id Templa ſacri-legis quotidie erepta palàm teſtantur. Et hoc Turcicæ Impietatis eſt Fatum, vt opprimatur Delphini tui fortitudine: Id fama prædicat, id voces omnium loquuntur, id ei deſpondent ſingulorum vota, id conſtans populorum opi-nio prænunciat; Quod vt certò ſperemus, & tanquam præſens putemus nos intueri quod futurum eſt, tua facit imprimis, Ludouice, ab-ſoluta Virtus & morum Innocentia & Sancti-tas vitæ, à qua nihil niſi eximium, niſi palmare, niſi præter ordinem, expectare nos c. nuenit. Te nobis Deus dedit Munus maximum, quo nullum licuit ſperare maius: Tibi Delphinum dedit idem Deus, quo nullum exoptare augu-ſtius diuiniúſque Donum potuiſti. Quid reſtat ad tuæ Gloriæ, noſtræque cumulum fœlicita-tis, niſi vt, dum Occidentem nutu regis, Orien-tem Natus moderetur imperio? vt, dum Hære-ticorum infringit furorem Pater in Europa, Saracenorum nefariam vim contundat Filius in Aſia?

O Quanta percepturus es animo gaudia, Regum Illuſtriſſime! Quantis tuum ſenties exultare lætitiis pectus! cùm Delphinum, ali-

quando

quando accipies, conſcendiſſe Claſſem, generoſo inſtructam Milite,& adſpirante cœlo, velificante ſalo, impellentibus ventis ac tempeſtatibus, infeſta Pyratarum excurſionibus pacaſſe maria, fauſtiſſimis præliis conſignaſſe Portus omnes, illuſtraſſe cladibus littora omnia, captas Tyrannorum arces æquaſſe ſolo, diruiſſe Algerium, Tunetum euertiſſe, Peluſium occupaſſe, Hieroſolymam recepiſſe, redactiſque in poteſtatem finitimis Prouinciis, Conſtantinopolin versùs victoriarum conuertiſſe curſum, eâque expugnatâ, Turcâque domito, deterſiſque Cornibus Lunæ, Liliatos erexiſſe arcus triumphales media in vrbe; totique Orienti conſpicua, Gallicæ Pietati ac Fortitudini, æternæ poſuiſſe Gloriæ monumenta.

Hæc audies olim facta, Rex Auguſtiſſime, quæ facienda audis nunc, & quæ auditu percipere videtur Delphinus ipſe. En, vt Auguriis adridens noſtris & velut annuens, extricare faſciis brachiola nititur, impatiens moræ; En, vt imbecillitatem pertæſus ætatulæ, infantilem lachrymis infantiam damnat: Vt fletu querulo, teneritudini membrorum blandè ſubiratus immurmurat! vt oculos omnē in partem torquet, quaſi hoſtem quærat! vt iactat agitatque ſeſe, quaſi minas vimque intentet! At hæc Delphine, blandimenta, non minæ ſunt. His hoſtem potes quidem vincere, ſed amore non terrore, riſu non metu, oris Blanditiis, non grauitate Majeſtatis. Non poteſt adhuc illa explicare ſe totam, quandiu Cunarum anguſtiis cohibetur, faſciiſque conſtringitur. At vbi creſcentibus annis, Virtutum creuerit ſplendor, diffuderiſque radios ho-

noris, clariſſimamque profuderis Indolem; quo tum, Deus Immortalis! Te ornatu inferes! quàm auguſto fulgebis habitu! quàm diuinâ ſpecie renidebis! In gremio geſtaris adhuc Parentum; Alter in oculis te fert; Alterius educaris in oſculis; At ſimul vt prodieris è ſinu Gratiarum quæ Te nunc ambiunt, & auitâ munitus fortitudine, generoſitatem exerueris inſitam, quos non edomabis præliis hoſtes? quos non obrues rebelles trophæis? quos non ſubiges populos triumphis? quas orbis partes, victoriarum monumentis non peragrabis? Iaces modò regiis in Cunis, molli velut in nido coronatus Aquilæ Pullus, expers virium: At, cùm primùm robur ætas dederit, & libero Te permiſeris cœlo; quas tunc non tranſcendes nubes difficultatum? quæ periculorum tonitrua non ridebis? quas calamitatum procellas non propulſabis à tuorum capitibus? quam Tibi, tuoque ſubiectis imperio, in ſuprema felicitatis regione collocatus ſerenitatem non induces?

Creſce modò, Delphine; Plura quàm dicimus efficies: Auſpicia de Te capta, minora reddes, factus major, Obſcurabis Auorum laudes, ſuperabis Heroum metas, vinces ſpem populorum, ſubditorum vota tranſilies; Et poſtquam Naturæ, quod precamur optamuſque, vixeris diu; Immortali Gloriæ, quod ſperamus, æternùm Viues.

ARISTO

ARISTOTELI

PHILOSOPHORVM PRINCIPI

ET

PHILOSOPHIÆ PARENTI

ELOGIVM

PROLVSIO PERIPATETICA

Authore

PATRE GABRIELE ROY

E SOCIETATE IESV.

IRREVERENTER Faciam, ac religiosè parum, Viri Clariſſimi, Patres Reuerendi, Auditores Philoſophi, ſi Reginæ Philoſophiæ aditurus imperium, Principem inſalutatum prætercam, ſi ſanctiſſima initiandus ipſe, & delibatum hunc iuuenum florem, ſapientiæ initiaturus myſteria, ſacrorum flaminem, flaminumque Antiſtitem officioſo ambitu non emerear, ſi Peripateticæ militiæ nomen daturus primum, atque hos euadam emeritos ſupplementa ordinum ſub ſigno ducturus, deſcripturo in cenſum, & authoramentum addituro duci ſa-

cramento non dicam: breui ſi Philoſophico aggregandus Senatui, & diſciplinam patriciam profeſſurus, Stagiritæ Conſuli non aſſurgam,& accidam; ſi enim in ignotis,& inacceſſis terrarum tractibus capturis ſedes, & Domicilium poſituris, Vindicibus Diis facere, Geniiſque indigetis, quorum auſpiciis ea res bene feliciterque eueniat, ſacris propitiare vſu venit,an non idoneum in imperio Philoſophico numen eſt, & indiges naturæ Genius Ariſtoteles? cuius tot oracula tenemus fere, quot verba, tot reſponſa de tripode legimus, quot pronunciata de capite, quot de Philoſophia numeramus libros,tot in eo genere facile dixerim ſybillinos? quia tamen intra religionem adhibenda eſt veneratio,ea re mortali citra numen facile maximo, quod in mortalitatem cadit ampliſſimum, non adolebimus thure, ſed laude, non litabimus victimis, ſed Elogiis, & quatenus aberit à ſacrilegio reuerentia; ſecundum ſuperos auguſtiſſimo conſecratam memoriam iſtius ſapientiæ præfigemus.

Nec vero eatenus inſtituti ſum neſcius, vt ab ipſo iam nunc introitu quantam quantaque rem opere defungendam ſuſceperim non intelligam, nam ſuperquamquod recente memoria Philoſophicam rem neſcio, attigerit vnus aliquis qui non argumentum hoc aut de ſtinato in ſolidum cœperit aut ex occaſione in tranſitu deguſtarit. Eiuſmodi inſuper eſt, vt laudatori ſi minus temerario, audaci certe. Illuſtris ex eo naufragii gloria,dicam,an inuidia potius quam Ariſtoteli aliqua ad celebritatem

tatem partam acceſſio quæſita videatur. Ariſtotelem enim quantoinſpicere operoſius, tanto procliuius eſt ſuſpicere, laudare quo periculoſius, hoc ſuperbius, ne ſi ſteterit intra meritum commendatio, plus in publico facto dedecoris, quàm in priuato laudantis conſilio ſit honoris. Ex æquo porro cõmendare vti omnibus optandum maximè, ita vel vni ex omnibus minimè ſit ſperandum, cuius viri nec ingenium, nec ſcientiam niſi longiſſimis retro ſpatiis cogitatione poſſit ſubſequi, eius ſe laudis inexploratum ambitum oratione admodum aſſecuturum, quamquam autem omnium minime, mihi quidem tantum felicitatis aut facultatis aſſentari poſſe intelligo, vt materiam extenuandam dicendo, meditando cum animo comprehendam, non continuo tamen abſtinendum duxi conſilio, aut cepto diſcedendum, cum ita cenſerem officij ſtudio, vitium ingenij excuſari, quodque facultate concideret, voluntate ornari, maximè cum laudandi genus optimum ſit altius ſentire quàm dicere, & Majeſtati rerum equidem citeriorem contigiſſe gloriam virium, gratiamque verborum, non item conſilium & conatum fateri.

Ac principio Ariſtoteles ne qua parte illaudatus eſſet, ſui decoris omen habet in nomine, vt ne ab æmulis quidem ſine elogio nominari poſſet, iamtum enim magnum aliquid de illo attulit, qui Ariſtotelem appellauit, quem ſiue optimum finem interpreter, ſiue metam optimi aut coronidem optimorum, non abibo in ſententiam aut peregrinam à nomine, aut ab homine alienam; ſane enim finis optimus

Aullo

Ariſtoteles, quem natura retro meditata tot ſæculis, tot molita prodigiis, vbi appulit, acquieuit videlicet, ceu in operæ omnis idoneo pretio, vel tanquam in articulo ſui ambitus conquieuit, finis optimus intra quem ſtetit quidquid vltra citraque ſapientum fuit: ſupra quem nec ingenium mortale ſe extulit, nec ſumma Doctrina erexit, quia quo euaderet præterea nihil fuit, coronis optimorum & meta optimi in quo ſapientia viguit ſine fuco, Philoſophia ſapuit ſine mendatio, natura penitus perquideri ſe paſſa eſt ſine Miſterio, cumque in aliis hactenus vel obſcura, vel nulla; lucem, & fidem robur, & vim, faſces, & regnum, breui τίλ⊕ ἄριϛον in Ariſtotele tandem inuenit.

Illuſtres equidem non inficior Arpinum Tullio, Marone Mantuam, Seneca Cordubam, Anacharſi Scythiam, Samum Pytagora, Cebete Thebas, Platone Athenas, Agrigentum Empedocle, Eleam Zenone, adeoque plures de Homeri natalibus cum eius decoris æmulatione contenderent celebratas; Clariores tamen Ariſtotelis ortu Stagyras tanto ante pronuntiem quod non patria modo ſed Regnum, alumnum hunc in propriis laudibus poſuit, non ornandæ modo vrbi parem, ſed orbi, quippè eius magiſterij, Lycæum orbis, Diſciplina ſapientia, Auditor genus humanarum fuit. Ac neſcio ſane perinde aliquando cæli benignitas vlli tractui terrarum arriſerit, atque Macedoniæ hac ætate indulſit, æquales enim gentileſque in cumulum eius gloriæ contigiſſe inuicem, magiſtrum orbis Alterum, Alterum Dominatorem & Arbitrum, vtrumque Macedonem; quid tandem

eſt, quàm liberali præter exemplum ingenio, bellicæ, litteratæque gloriæ Decus, ingeniorum & terrarum imperium vni populo deſtinaſſe? quamquam in hac exhibitione regnorum haud paulo Ariſtotelis fortuna Melior, quàm Macedonis fuit, niſi forte non præſtat ingeniis imperare, quam populis, at ſuum eſt (quiſque ſua vnius victoria) Imperium ſapientiæ, Bellonæ quia partem maximam militi fortunę obnoxium, clientelare fere eſt, atque præcarium indeque adeo alienum, atque iſtud vt maxime diuturnum ſit, meta denique mortalitatis abrumpitur nec ſuperſtes eſt funeri; Illud legibus caducitatis emeritis ab obitu viuax ſe porrigit, vt ſuam quidem Ariſtoteles ætatem egregie vixerit; omnem verò tanto egregius raro Philoſophiæ & ingenij Priuilegio imperaret. Pertinebat enim ad ſapientiam numinis prouidere, ne ſua fraudi eſſet animis immortalitas, vt qui aliquando principes extitiſſent ſi minus vita, principatu certe nunquam abirent, ſuam ergo gentem, & patriam diuiniori longe gloria præ ſuo Alexandro, noſter Ariſtoteles commendauit, cui non emorituras aliquando lauros, & caducitatis expers imperium addidit, & adeo Alexandrum ipſum minus ortu, quàm cultu nobilem, diſciplina quantus extitit dedit.

5. Nicomacho tamen Ariſtotelis gloria propria eſt iure optimo, quia paterno, hoc enim illud intereſt patres inter & liberos quod vt communicent ſanguinem non item mutuo miſcent laudem, turpe ſiquidem ſit indignæ ſoboli proauorum lineam enumerare Heroum, ac patri

patribus præſtantes liberos commemorare præclarum eſt, aliena ſiquidem illi depredicant, illi venditant ſua, & vt gigni à maximo minimum eſt, niſi maximum te item præſtiteris; ita idoneum argumentum eſt maximi, maximum genuiſſe. At licet Nicomacho pulchrum eſt, quod in tantam lucem Ariſtotelem edidit, Ariſtoteli tamen eſt pulchrius quod retro in caput deſuo lucem refudit, dumque ſe præſtat vndequaque maximum, majores ſuos non tam inuenit, quàm fecit, niſi forte fuerit, vtrique pulcherrimũ, ceu patri dediſſe vitam quam non reciperet, ceu proli quam non acceperat gloriam reddidiſſe. Erat Nicomachus Amyntæ Macedonum principi à valetudine Medicus, cum auctam Ariſtotele familiam Coronauit, in quo quia vnius compendio faſtigium felicitatis euaſerat, inſtar plurium vnum habuit, qui eſſe commode poterat, ſupraquam inſtar omnium, ſubinde quod in Diuina ſobole mortalitatis modum exceſſerat humanis conceſſit ne poſt immortalitatem, filium mortalem ſuſciperet, & poſtquam maior eſſe non poterat, ex alio minor eſſet, eius artem præclare degener filius cum calleret maximè, minimè tamen exercuit, ratus aperire laudis iter, eſſe præſtantius, quàm tenere, ſectam facere, quàm ſectari, ducere de ſuo, quàm ducere de alieno, breui ex Philoſophiæ placitis quæ præcepiſſet ipſe valetudinem animis facerequàm ex auita ſcientia valetudinem Corporum procurare. Taceo enim Auum Machaonem qui arti Medicæ nationiſque luminibus de ſe nomen, Abauum Aſculapium, qui ſibi etiam Nomen, &

& arti fecit : non indiget auitæ laudis appendicibus Ariſtotelis gloria , quæ nec idoneum numinis honeſtamentum requireret, ſtipendiarium veritatis ingenium fabulam pati poſſet, aut errare in ſe poſteros, qui prouiderat, ne qua in re falſi errarent.

His Maiorum exemplis , in magnas ſpes non admodum adoleuerat , cum ſubito ſolemnique rerum turbine de nato patre, depoſito ſuo natura timuit, quod ſuorum præſidio deſtitutum fortunæ ludibrium verebatur, ſed magnarum rerum facilis iactura non eſt, quodque prodigio naſcitur, vel miraculo benè ſeruetur. Fuit enim verò non nemo, cuius nomen interuallo temporum, aut vitio ſcriptorũ intercidit , eo nomine dignus cui nominatim Poſteritas quæreretur, Atarnentium hoſpes qui ſeu pupillarium annorũ miſericordia, ſeu tacitè Superum inſcitu, ſe futuræ claſitudinis auguratu vagam, expertemque opis , atque conſilij Philoſophiæ ſpem apud ſe collegit , pro ſuo habuit, educauit ingenuè, inſtituit eruditè, quo facto de humano genere melius Anonimus ille, quam Deucolion meruit, niſi forte fecerit elegantius qui mortalibus orbem hunc , quam qui ſapientibus frequentarit. In hac porro velitatione ingenij , tyrocinio ſtudiorum fecit operepretium , ac ſe vel inde maximum ſtatim prodidit, quod in minimis parue nihil, aut parui fecit, quod enim adeunti aſſurrexit puluis grammaticus , quod Parnaſſi cliuus, & caput geminum euadenti ſubſidit, quod deceſſit ſalutandi ſuada , & quadrigis clientibus ſocium in thronum regnique non partem , ſed

ſum

ſummam accepit, non illecebroſè lenocinanti um candidato meretricularum laſciuia, ſed mirus fuit ortus Principis, & quædam genij ſeu numinis veneratio, adhibuit enim fœlicitati ingenij ſtudiorũ felicitatẽ, quodq; in grãmatica ſenticetum non ſenſit, nec euicit in Pœtica cliuũ nec in ſuadæ ſolio inuenit gradum, ſed expeditis & complanatis itineribus quaſi iure quodam, & naturæ præiudicio, in poſſeſſiones omnium immigrauit, non indulgentiæ fructus eſt, ſed victoriæ, nec enim eius ingenio deceſſit labor, & ceſſit, non remiſſa, ſed ſub iugum miſſa arduitas, non delata palma, ſed parta, ac ſi breuis in eo curſu mora & labor fuit; non curriculi breuitas, aut decliuitas, ſed magnitudo currentis fecit, qui eo non ſudauit maxime, quia maximus deſudauit.

Scit equidem datarias non eſſe hactenus litteras, ſed quàm vendibiles tam venales parantur ambitu, quia Reginæ, cultu quod *Deæ*, labore quod arduæ, ingenio quod non ingenitæ: non auro tamen etſi pretioſæ; meruit tamen in Ariſtotele præſtans genius, vt ambitioſæ ſui eſſent, ex illo faſtigio ſtudium emeruit, vt eſſent etiam ſtudioſæ ac ſi vnquam palæſtra litteraria ludus fuit, arbitror fuiſſe cum ſtuduit, nam ſimul illis ipſe ſe dedidit continuoſas fecit, ratas iudicari ſe principe pretio, cum licitaretur ſe ipſo, accepturas beneficium, ſi ab eo acciperentur, & donandas iuſto imperio, ſi tanti ingenij parte aliqua, ſeu ciuitate Principe donarentur.

Iamque præteritis hiſce picturatis, & elegantibus ſeueriorum diſciplinarum veſtibulis, de

de re præſenti auguranti videri cuius poterat tanquam & geneſi quo tandem,quantuſque eſſet euaſurus, Ne tamen peruolutæ artes ab alumno ne tot officiis emerito monumentum aliquod operæ poſitæ deſiderarent, aut gratiæ, aſperſit ſingulas nouo lumine, quia ſuo, quas poſtquam edicit, de rebus quaſque ſuis doctiores reliquit, & Grammaticam quidem enormem eatenus & exlegem, certis de interpretatione canonibus illigatam liberali forma compoſuit, Poëticam aſſertam à fabulis,natiuo ſucco,& colori reſtituit,dum ſuo donauit, illa vero in eius de ſe commentariis, commentitios antea vultus, poſt liminio veros reuiſit in homericis quæſtionibus dubitare,in ſuis rebus & inquirere deſiit, in libro de Muſica emodulatos numeros dedicit,in opere de Poëtis, cenſuræ ſuorum ſubſc ipſit ac ne præcipientis fides corrueret, qui Poëta item non eſſet,ſupra millenis quadragies quinquieſque carminibus elucubratis, Poëticæ ſupra votum & meritum poſterius, & æqualibus præter exempli deſiderium ſatisfecit:in Rethoricam verò ſic officioſus fuit, vt illi ſcholam in operibus ſuis extruxerit vnde ars ipſa methodum, alumni viam, tyrones vſum, Veterani nomen Oratorum, natio celebritatem inuenit. Hæ tamẽ egit pene puer in tranſitu in quibus ſi conſiſteret aiius, bene de re literaria meritus, ſi ad canos conſeneſceret tam bene vitam omnem quam qui optimè poſuiſſe videretur: ſed Ariſtotelem per compendia celeritas duxit ingenij, capularem aliis metam ante quintum decimum flexerat, veteranas hactenus

Poëtarum hæderas, & lauros nondum præcones Oratorum, felici luxuria præpropere maturitas, ſimul prope ſeuit, & meſſuit, & qua ruditate annorum vulgo excuſatur inſcitia, nihil ipſe rudis in pueros, impendio ſcientiam ad miraculum commendauit, quamquam hæc ad illud ingenium nugæ, atque crepundia, ad fatum & deſtinationem Superum, remoræ pueriles.

Itaque ceu abunde luſum eſſet pro puero, Reſponſo Pythiæ apud quam conſueuetat Superos, philoſophari iuſſus, Athenas litterarum id ætatis imperium, & Emporium animum, iterque contendit, ibi rerum potiebatur tum Socrates, cui ſapientiæ Primas cum diuina Fides adiudicaſſet oraculo, æmulorum ambitum ne certarent cum ſuperis tranſtulerat in venerationem ad eum ſe noſter applicuit & ſuffragium Superum calculi ſui acceſſione laudauit, Socratem dum audit Triennium abiit, auditurus porro niſi circumuentum iudicio, & ab innocentiæ conſcientia fidentius quam pro reo perorantem, oſorum inuidia & iniquitas iudicum perdidiſſet, quando ſuos etiam moriens docuit reſpondere fere magnitudini pares caſus, & ſecuram eſſe gloriæ virtutem, non vitæ; vixit enim ab obitu in maioribus populi, æmulorum ſubinde ſupplicio tantiſper inuoluta virtus emicuit, gloria poſt caſum in ſtatua longum ſtetit. Cæterum quantum Ariſtoteles in hac palæſtra proceſſerit, verita pro fide notam fabulæ hiſtoria tacuit, ſatis tamen eo Socrati fuiſſe in pretio, vt gereretur in ocu is, eo vſu & conſuetudine,

vt

vt haberetur in intimis,& mortalium qui tum quidem erant ſapientiſſimo charum ab indole præſtantis ingenij, à conſentione voluntatum, & morum ſimilitudine amicum fuiſſe, erat ille magno tum natu noſter duodeuigeſimo minor altero, vt illam quanta intererat ætatis intercapedinem, annorumque diuortium, ſublatum exiſtimem vicinitate mentium , & confinio animorum.

Subinde in Socratis deſiderium,regnumque Philoſophiæ Platone ſuffecto, ratus ſapiturum ſcientius ſi ſapiētiam plurimum deguſtaret,ad Platonem tranſiuit; virum diuinum vndique niſi ad auditorem ſuum minimè licet id agentem,loco motus, & de cælo ſuo quod non immerito occuparat detractus in promiſcuum Senatorū ordinem abdicatis faſcibus ſucceſſiſſet , apud illud annos poſuit omnino vicenos, & ſtudiorum conſtantia & varietate , vt lectoré ſuum & ingenij gloria,vt ſcolæ mentem, & veritatis Philoſophorum Plato dictitaret,eo fructu, vt eū non tā in auditoribus ſuis poneret, quàm in laudibus, & hanc ſuæ gloriæ partem non vltimam aſſignaret fortunæ , quàm enim illud eximiū ad decus Platonis, Auditorem habuiſſe quem orbis audiuit,docuiſſe Philoſophiam qui eum doctiorem fecit,quamque vel ſe ipſo non parum auxit , cui ſecum, ingenium eius ambitu maius dedit , perinde namque crediderim , vti pater optimus ſi filium ſe meliorem ſuſtulerit, ita Magiſter maximus boni conſulat,ſi deſiderio ſuo diſcipulum prouiderit ſe maiorem, nec alio loco tantam Philoſophiæ ſpem habebat Plato , quam clariſſimi

pigno

pignori vnde ſuos ingenio poſteritatem præſtabat quam vberrimi famæ fundi in cuius cultura vectigalem ſuæ memoriæ gloriam deſtinabat. Itaque ſeu fideli glebæ nec correpturæ cultum aut ſpes tuto credebat, omnia reditura cum fœnore, amabat illum conſcium ſuæ omnis ſcientiæ cum intelligeret fruſtra celari aliquid tanto ingenio quod nihil latere poſſet, inuenturum per ſe niſi quis ex quo diſceret occupaſſet, & de ſua gloria deperire non parum, ſi minus docuiſſet, cum ex hac docendi parcimonia, nihilominus ille quidem ſciret, minus tamen deberet, iſtaque toto vicenio cum diligentia inter ſe certarent, docendi alter, alter diſcendi, illud quidem Plato obtinuit, vt quantum ipſe ſciret, tantum ex ipſo Ariſtoteles diſceret: iſte præterea præfecit ingenio, vt ſupra longè quàm didicerat, ſciret, & Diſciplinam Doctrina ſuperaret. Vt enim feliciori ſolo data ſemina vberius item proueniunt, ad eundem modum in Ariſtotelicum ingenium tradux eadem de Platonico Philoſophia, lætius adoleuit, in quo nouis nixa momentis ratio firmior, expeditior impeditarum rerum euolutio, ipſa adeo veritas ſibi viſa eſt verior purioribus aperta luminibus, & quaſi ex præruptis ambagibus, & arduo idearum faſtigio ſic in æquum planumque deuocata, vt quæ fuerat in Platone tormentum ingenij, & Myſterium, oblectamentum in Ariſtotele fuerit, & ſpectaculum; non enim priuatim ſibi, ſed humano generi publicè ſtuduit, qui parem adeptus diſcendi, docendique felicitatem, eo aciem intulit, quo nemini licuit, vel præire, vel ſequi; quando quod

ipſum latuit,non philoſophos modo, ſed philoſophiam ipſam fugit:quidquid autem habuit ingenio peruium, tanta lucis copia iubareque perfudit, vt niſi errare deinceps, vel caligare volentibus, nec eſſet iuuium, nec inuiſum.

Nec verò ſagacem Magiſtrum ſolertia Alumni feſellit, cum longo vſu cognoſceret reddi ab illo meliùs quidquid ipſe dediſſet, ab eo doceri ſe quem docuiſſet, lucem ceu acceptam in ſpeculo reſultare vibrantius,vinci Magiſterium ſtudio, prouentu culturam, ſcientia, diſciplinam, nec tam Ariſtotelem donari Philoſophia,quam hanc illo ditari, quæ cum cogitaret vir optimus,poſteris gratulabatur, videlicet quorum in vſus tantum denique Deorum beneficium adoleret. Fruebatur ipſe interim,fouebatque in ſinu creditum ſibi priuilegio tantum pignus, ſperabatque bonus ſenex præclarè fidem humano generi abſoluturum, qui quem acceperat optimum, videbat in dies euadere meliorem, at noſter ſui admodum conſcius, & quid à Platone ſciret & quo ſuo marte porro promouerat pro ſua prudentia ſatis ignarus, videri tamen voluit gratiam debere cum faceret,&,accepiſſe beneficium, cum danti nihil euenire poſſet præclarius quàm dediſſe, nec enim illos quidem audio qui parum gratum Ariſtotelem deferunt, & ceu illiſis vbera materna calcibus, receſſiſſe fabulantur à Platone cum iniuria, inſurrexiſſe cum contumelia:deque Alumno factum Æmulum, Academiæ Platonicæ, lycæum peripateticum obiectaſſe, verum bono publico natum homi-

nem, & in ſæculorum vſus Diuinitùs deſtinatum quis exiſtimet, priuata tactum inuidia, aut non eo loco Platonem ab ipſo habitum, quo loco ab alumnis ipſe haberi merito voluiſſet. Certarunt equidem inter ſe officiis, ſed non odiis, & in eo vicennali conuictu, neſcias plus ille detulerit gratiæ, an iſte retulerit: in quo tamen pro ſua conſuetudine Ariſtoteles vicit: nam Platonis merita intra vitam ſteterunt, Ariſtoteles in ſuperſtitē gratus, in Manes etiã fuit pius, ornauit, vmbrã, ſacrauit cineres, memoriæ reddidit immortalitatem, nec illi tam tantum ſtuduit, cum ſub illo ſtuderet, ſed poſtquam eo ſublato memoriam ex animo tuto poſſet expungere, obliuionis verecundiam ſua illi virtus atque indoles fecit.

Equidem fateor vt in peruidendo vero Ariſtoteles præſtitit, ſic apud ipſum in Principe gratia veritatem fuiſſe, vnde amicos Platonem, & Socratem, ſed amiciorem vtroque dictitabat veritatem, Platonica tamen placita reuerenter habuit quibus vt diuerſa nonnulla, ita contraria vix vlla cenſuit, vt non ab illo ſua deſcripſiſſe tamen pro modeſtia videatur, nam idealem illam ſcientiam popularibus inacceſſam ingeniis deduxit ab illo vertice parum humanam, & quaſi partes interpretis ſuſtineret aut vindicis parum aſſequentes adiuuit, perperam capientes redarguit, & ſubtilis in Platone dicendi ratio, ceu ſolidiori cerebro ſtagyritæ concreuerit, corpus accepit & ſuccum, colorem & formã induit, tractabilis in vulgus exiuit, quo facto quam egregiam Magiſtro vicem rependerit, pronunciet facilè, qui Platonis tenebras

in

in Platone, lucem ac ſententiam in Ariſtotele contractarit ac ne tum quidem ſatis eximiæ in illum voluntati ſuæ feciſſe ratus, veneratus eſt ſupra mortalem, & pietatis magnitudine pene impius, ceu inaugurando numini aram inſcripſit hoc carmine.

Ponit Ariſtoteles pius hoc altare Platoni
Quem laudare nefas ora profana foret.

Ad Aram hanc arbitror tanquam in ſcopulum alliſa calumnia frangitur, ſtat alumni aduerſus præceptorem obſeruantia, legitur caracteribus æternitate digniſſimis grata memoria, loquitur modeſtia viui, viuit gloria mortui, quem certè citra crimen haud amare præterea potuit, poſtquam amicus vſque ad aras fuit.

Cæterum dum noſter Platonem in vmbra priuatim audit, ita publicè nomen eius increbuit, & inclaruit, vt priuatum eſſe obſcurumque deſierit, argumentoque latè adorandum hunc Genium Athenæ tum in orbe Principes ſupplicarunt. Intercedebat illas inter Philippumq; Macedonē nonnulla offēſio; in alterius eruptura pernicem niſi medius interueniret. Ariſtoteles pro Mercurio, qui Athenis metum adimeret, Regi ferrum: rara laus ab Athenienſibus ad Macedonem legatus mittitur Macedo, & quæ fidei eſt & dexteritatis opinio, pro alienis apud ſuos Orator idoneus creditur, pro

Philoſopho ſolum omne patriam habiturus, nec ſuarum minus putaturus partium Athenis conſulere vnde hauſiſſet Philoſophiam, quàm Macedoniæ vnde vitam. Nec fefellit eam ſpem niſi in melius, quia vicit, quando rem iis conditionibus, ea celeritate confecit vt ſupra votum cuncta reſponderint, exemploque docuerit, ſalutarem orbi Philoſophiam ſuam fore, nec pulueri tantum & vmbratili otio, ſed negotiis aptam, natam populis, ſolem laturam, & vel in ipſo moderaturam imperia, vel per ipſum: inter hæc vixerat Plato, & caducum Academiæ ſilentis imperium per eam abſentiam Speuſipus ſeu affinis hereditatem adeſpotam non tam adierat quã inuaſerat, eam prætereuntis fortunæ qualemqualẽ iacturam noſter cõtinuo lucri fecit, & quia peregrinatam Philoſophiam nouerat optimam ſtationariam ſuam voluit, itaque ſcholam ſapientiæ mundum interprætans, Græciam orbis ea tempeſtate palæſtram emenſus, ſingularem vrbium ſapientiam, ſuam fecit, nec ad priſtinam aliud fermè addidit, niſi quod, quam præ illis apud ſe ſapientia ſaperet, vſu cognouit. Acarnam demum apud Hermiam Principem affinemque diuertens ne ſuam tantum ætatem viueret ſed porro ſupereſſet in liberis coniugem duxit, neſcius victuram per ſe quandiu futurum eſſet mortalium, æquandam ſæculis vitæ partem optimam gloriam; humanum genus fore pro poſteris immortales libros pro liberis, quodque Mortalitatis ab vxore remedium quæreret, diuinius aliquanto, ex contubernio Philoſophiæ inuenturum.

Iam

Iam enim imperatoriam ſcbolem eius curis deſtinauerat gloria quam ſi minus natura,ſuam certe faceret haud paulo pulchrius diſciplina. Guſtauerat eius legati animum Philippus Macedo, qui cum Alexandro ſpei maximæ iuueni,genere Principi,fortuna Regi,fato imperatori ſapientis induſtriam à doctrina, magni nomen ab amplitudine rerum quæreret, haud alium ad eam rem adhibendum cenſuit, quàm quem optimum ſenſit. Et cupidè factam bene merendi de Principe copiam noſter arripuit, id agentibus fatis, vt adiret orbis imperium Ariſtotelis Philoſophia, quemque in alumno paludata vinceret, in ipſo palliata erudiret. Et principio quidem aggreſſus iuuenem cogitabat ſolum Macedonię Principem, fingebat patrem patriæ,deſtinabat Arbitrum Graciæ,& vbi peruidit penitus indolem ad omnem elegantiam comparatam in primis, bonam in paucis, ingenium ſuppar ſuo, iudicium præter annos, animum vrbe maiorem; venit in ſpem ſcilicet poſſe vnum rebus imponi caput, orbem quantus eſt ab hoc animo poſſe vinci, ab hac mente Regi, vnumque eſſe non iam modo mole ſed capite: ſi Philoſophiæ ſtipendiis militaret ille animus, ſi conſiliis mens illa regeretur. Iam vtri felicius euenerit, definire ſit arduum, debet enim alumno noſter decus illud ingens, & proprium, quod victorem orbis ſpe magna traditum ad res maximas ſuo ſinu emiſit. cui debet viciſſim ille quod ad liberalem naturam diſciplinæ præſidium ſine quo indoles iacuiſſet acceſſit,auxit ille diſcipulum,qui enim Alexandrum acceperat magnum

ſummam accepit, non illecebroſè lenocinantium candidato meretricularum laſciuia, ſed mirus fuit ortus Principis, & quædam genij ſeu numinis veneratio, adhibuit enim fœlicitati ingenij ſtudiorũ felicitatē, quodq; in grãmatica ſenticetum non ſenſit, nec euicit in Pœtica cliuũ nec in ſuadæ ſolio inuenit gradum, ſed expeditis & complanatis itineribus quaſi iure quodam, & naturæ præiudicio, in poſſeſſiones omnium immigrauit, non indulgentiæ fructus eſt, ſed victoriæ, nec enim eius ingenio deceſſit labor, & ceſſit, non remiſſa, ſed ſub iugum miſſa arduitas, non delata palma, ſed parta, ac ſi breuis in eo curſu mora & labor fuit; non curriculi breuitas, aut decliuitas, ſed magnitudo currentis fecit, qui eo non ſudauit maxime, quia maximus deſudauit.

Scit equidem datarias non eſſe hactenus litteras, ſed quàm vendibiles tam venales parantur ambitu, quia Reginæ, cultu quod Deæ, labore quod arduæ, ingenio quod non ingenitæ: non auro tamen etſi pretioſæ; meruit tamen in Ariſtotele præſtans genius, vt ambitioſæ ſui eſſent, ex illo faſtigio ſtudium emeruit, vt eſſent etiam ſtudioſæ ac ſi vnquam palæſtra litteraria ludus fuit, arbitror fuiſſe cum ſtuduit, nam ſimul illis ipſe ſe dedidit continuoſas fecit, ratas iudicari ſe principe pretio, cum licitaretur ſe ipſo, accepturas beneficium, ſi ab eo acciperentur, & donandas iuſto imperio, ſi tanti ingenij parte aliqua, ſeu ciuitate Principe donarentur.

Iamque præteritis hiſce picturatis, & elegantibus ſeueriorum diſciplinarum veſtibulis,

de

de re præſenti auguranti videri cuiuis poterat tanquam & geneſi,quo tandem,quantuſque eſſet euaſurus, Ne tamen peruolutæ artes ab alumno ne tot officiis emerito monumentum aliquod operæ poſitæ deſiderarent, aut gratiæ, aſperſit ſingulas nouo lumine, quia ſuo, quas poſtquam edicit, de rebus qualque ſuis doctiores reliquit, & Grammaticam quidem enormem eatenus & exlegem, certis de interpretatione canonibus illigatam liberali forma compoſuit, Poëticam aſſertam à fabulis,natiuo ſucco,& colori reſtituit,dum ſuo donauit, illa vero in eius de ſe commentariis, commentitios antea vultus, poſt liminio veros reuiſit in homericis quæſtionibus dubitare,in ſuis rebus & inquirere deſiit, in libro de Muſica emodulatos numeros dedicit,in opere de Poëtis, cenſuræ ſuorum ſubſcripſit ac ne præcipientis fides corrueret, qui Poëta item non eſſet,ſupra millenis quadragies quinquieſque carminibus elucubratis, Poëticæ ſupra votum & meritum poſterius, & æqualibus præter exempli deſiderium ſatisfecit:in Rethoricam verò ſic officioſus fuit, vt illi ſcholam in operibus ſuis extruxerit vnde ars ipſa methodum, alumni viam, tyrones vſum, Veterani nomen Oratorum, natio celebritatem inuenit. Hæc tamẽ egit pene puer in tranſitu in quibus ſi conſiſteret alius, bene de re literaria meritus, ſi ad canos conſeneſceret tam bene vitam omnem quam qui optimè poſuiſſe videretur: ſed Ariſtotelem per compendia celeritas duxit ingenij, capularem aliis metam ante quintum decimum flexerat, veteranas hactenus

Poë

Poëtarum hæderas, & lauros, nondum præcones Oratorum, felici luxuria præpropere matur.tas,ſimul prope ſeuit,& meſſuit, & qua ruditate annorum vulgo excuſatur inſcitia, nihil ipſe rudis in pueros, impendio ſcientiam ad miraculum commendauit, quamquam hæc ad illud ingenium nugæ, atque crepundia,ad fatum & deſtinationem Superum,remoræ pueriles.

Itaque ceu abunde luſum eſſet pro puero, Reſponſo Pythiæ apud quam conſuluerat Superos, philoſophari iuſſus, Athenas litterarum id ætatis imperium, & Emporium animum,iterque contendit, ibi rerum potiebatur tum Socrates, cui ſapientiæ Primas cum diuina Fides adiudicaſſet oraculo, æmulorum ambitum ne certarent cum ſuperis tranſtulerat in venerationem ad eum ſe noſter applicuit & ſuffragium Superum calculi ſui acceſſione laudauit, Socratem dum audit Triennium abiit, auditurus porro niſi circumuentum iudicio, & ab innocentiæ conſcientia fidentius quam pro reo perorantem, oſorum inuidia & iniquitas iudicum perdidiſſet, quando ſuos etiam moriens docuit reſpondere fere magnitudini pares caſus, & ſecuram eſſe gloriæ virtutem, non vitæ; vixit enim ab obitu in maioribus populi., æmulorum ſubinde ſupplicio tantiſper inuoluta virtus emicuit, gloria poſt caſum in ſtatua longum ſtetit. Cæterum quantum Ariſtoteles in hac palæſtra proceſſerit, verita pro fide notam fabulæ hiſtoria tacuit, ſatis tamen eo Socrati fuiſſe in pretio, vt gereretur in ocu.is, eo vſu & conſuetudine,

vt

vt haberetur in intimis,& mortalium qui tum quidem erant ſapientiſſimo charum ab indole præſtantis ingenij, à conſentione voluntatum, & morum ſimilitudine amicum fuiſſe, erat ille magno tum natu noſter duodeuigeſimo minor altero, vt illam quanta intererat ætatis intercapedinem, annorumque diuortium, ſublatum exiſtimem vicinitate mentium, & confinio animorum.

Subinde in Socratis deſiderium,regnumque Philoſophiæ Platone ſuffecto, ratus ſapiturum ſcientius ſi ſapiētiam plurimum deguſtaret,ad Platonem tranſiuit; virum diuinum vndique niſi ad auditorem ſuum minimè licet id agentem,loco motus, & de cælo ſuo quod non immerito occuparat detractus in promiſcuum Senatorū ordinem abdicatis faſcibus ſucceſſiſſet, apud illud annos poſuit omnino vicenos, & ſtudiorum conſtantia & varietate, vt lectoré ſuum & ingenij gloria,vt ſcolæ mentem, & veritatis Philoſophorum Plato dictitaret,eo fructu, vt eū non tā in auditoribus ſuis poneret, quàm in laudibus, & hanc ſuæ gloriæ partem non vltimam aſſignaret fortunæ, quàm enim illud eximiū ad decus Platonis, Auditorem habuiſſe quem orbis audiuit,docuiſſe Philoſophiam qui eum doctiorem fecit,quamque vel ſe ipſo non parum auxit, cui ſecum, ingenium eius ambitu maius dedit, perinde namque crediderim, vti pater optimus ſi filium ſe meliorem ſuſtulerit, ita Magiſter maximus boni conſulat,ſi deſiderio ſuo diſcipulum prouiderit ſe maiorem, nec alio loco tantam Philoſophiæ ſpem habebat Plato, quam clariſſimi

pigno

ipſum latuit,non philoſophos modo, ſed philoſophiam ipſam fugit:quidquid autem habuit ingenio peruium, tanta lucis copia iubareque perfudit, vt niſi errare deinceps, vel caligare volentibus, nec eſſet inuium, nec inuiſum.

Nec verò ſagacem Magiſtrum ſolertia Alumni fefellit, cum longo vſu cognoſceret reddi ab illo meliùs quidquid ipſe dediſſet, ab eo doceri ſe quem docuiſſet, lucem ceu acceptam in ſpeculo reſultare vibrantius,vinci Magiſterium ſtudio, prouentu culturam, ſcientia, diſciplinam, nectam Ariſtotelem donari Philoſophia,quam hanc illo ditari, quæ cum cogitaret vir optimus,poſteris gratulabatur, videlicet quorum in vſus tantum denique Deorum beneficium adoleret. Fruebatur ipſe interim,fouebatque in ſinu creditum ſibi priuilegio tantum pignus, ſperabatque bonus ſenex præclarè fidem humano generi abſoluturum, qui quem acceperat optimum, videbat in dies euadere meliorem, at noſter ſui admodum conſcius, & quid à Platone ſciret & quo ſuo marte porro promouerat pro ſua prudentia ſatis ignarus, videri tamen voluit gratiam debere cum faceret,&,accepiſſe beneficium, cum danti nihil euenire poſſet præclarius quàm dediſſe, nec enim illos quidem audio qui parum gratum Ariſtotelem deferunt, & ceu illiſis vbera materna calcibus, receſſiſſe fabulantur à Platone cum iniuria, inſurrexiſſe cum contumelia:deque Alumno factum Æmulum, Academiæ Platonicæ, lycæum peripateticum obiectaſſe, verum bono publico natum homi-

nem, & in ſæculorum vſus Diuinitùs deſtinatum quis exiſtimet, priuata tactum inuidia, aut non eo loco Platonem ab ipſo habitum, quo loco ab alumnis ipſe haberi merito voluiſſet. Certarunt equidem inter ſe officiis, ſed non odiis, & in eo vicennali conuictu, neſcias plus ille detulerit gratiæ, an iſte retulerit: in quo tamen pro ſua conſuetudine Ariſtoteles vicit: nam Platonis merita intra vitam ſteterunt, Ariſtoteles in ſuperſtitē gratus, in Manes etiā fuit pius, ornauit, vmbrā, ſacrauit cineres, memoriæ reddidit immortalitatem, nec illi tam tantum ſtuduit, cum ſub illo ſtuderet, ſed poſtquam eo ſublato memoriam ex animo tuto poſſet expungere, obliuionis verecundiam ſua illi virtus atque indoles fecit.

Equidem fateor vt in peruidendo vero Ariſtoteles præſtitit, ſic apud ipſum in Principe gratia veritatem fuiſſe, vnde amicos Platonem, & Socratem, ſed amiciorem vtroque dictitabat veritatem, Platonica tamen placita reuerenter habuit quibus vt diuerſa nonnulla, ita contraria vix vlla cenſuit, vt non ab illo ſua deſcripſiſſe tamen pro modeſtia videatur, nam idealem illam ſcientiam popularibus inacceſſam ingeniis deduxit ab illo vertice parum humanam, & quaſi partes interpretis ſuſtineret aut vindices parum aſſequentes adiuuit, perperam capientes redarguit, & ſubtilis in Platone dicendi ratio, ceu ſolidiori cerebro ſtagyritæ concreuerit, corpus accepit & ſuccum, colorem & formā induit, tractabilis in vulgus exiuit, quo facto quam egregiam Magiſtro vicem rependerit, pronunciet facilè, qui Platonis tenebras

in

in Platone, lucem ac ſententiam in Ariſtotele contractarit ac ne tum quidem ſatis eximiæ in illum voluntati ſuæ feciſſe ratus, veneratus eſt ſupra mortalem, & pietatis magnitudine pene impius, ceu inaugurando numini aram inſcripſit hoc carmine.

Ponit Ariſtoteles pius hoc altare Platoni
Quem laudare nefas ora profana foret.

Ad Aram hanc arbitror tanquam in ſcopulum alliſa calumnia frangitur, ſtat alumni aduerſus præceptorem obſeruantia, legitur caracteribus æternitate digniſſimis grata memoria, loquitur modeſtia viui, viuit gloria mortui, quem certè citra crimen haud amare præterea potuit, poſtquam amicus vſque ad aras fuit.

Cæterum dum noſter Platonem in vmbra priuatim audit, ita publicè nomen eius increbuit, & inclaruit, vt priuatum eſſe obſcurumque deſierit, argumentoque latè adorandum hunc Genium Athenæ tum in orbe Principes ſupplicarunt. Intercedebat illas inter Philippumq; Macedonē nonnulla offenſio; in alterius eruptura pernicem niſi medius interueniret Ariſtoteles pro Mercurio, qui Athenis metum adimeret, Regi ferrum: rara laus ab Athenienſibus ad Macedonem legatus nittitur Macedo, & quæ fidei eſt & dexteritatis opinio, pro alienis apud ſuos Orator idoneus creditur, pro

Philoſopho ſolum omne patriam habiturus, nec ſuarum minus putaturus partium Athenis conſulere vnde hauſiſſet Philoſophiam, quàm Macedoniæ vnde vitam. Nec fefellit eam ſpem niſi in melius, quia vicit, quando rem iis conditionibus, ea celeritate confecit vt ſupra votum cuncta reſponderint, exemploque docuerit, ſalutarem orbi Philoſophiam ſuam fore, nec pulueri tantum & vmbratili otio, ſed negotiis aptam, natam populis, ſolem laturam, & vel in ipſo moderaturam imperia, vel per ipſum: inter hæc vixerat Plato, & caducum Academiæ ſilentis imperium per eam abſentiam Speuſipus ſeu affinis hereditatem adeſpotam non tam adierat quã inuaſerat, eam prætereuntis fortunæ qualemqualẽ iacturam noſter cõtinuo lucri fecit, & quia peregrinatam Philoſophiam nouerat optimam ſtationariam ſuam voluit, itaque ſcholam ſapientiæ mundum interpretans, Græciam orbis ea tempeſtate palæſtram emenſus, ſingularem vrbium ſapientiam, ſuam fecit, nec ad priſtinam aliud fermè addidit, niſi quod, quam præ illis apud ſe ſapientia ſaperet, vſu cognouit. Acarnam demum apud Hermiam Principem affinemque diuertens ne ſuam tantum ætatem viueret ſed porro ſupereſſet in liberis coniugem duxit, neſcius victuram per ſe quandiu futurum eſſet mortalium, æquandam ſæculis vitæ partem optimam gloriam; humanum genus fore pro poſteris immortales libros pro liberis, quodque Mortalitatis ab vxore remedium quæreret, diuinius aliquanto, ex contubernio Philoſophiæ inuenturum.

Iam

Iam enim imperatoriam ſobolem eius curis deſtinauerat gloria quam ſi minus natura,ſuam certe faceret haud paulo pulchrius diſciplina. Guſtauerat eius legati animum Philippus Macedo, qui cum Alexandro ſpei maximæ iuueni,genere Principi,fortuna Regi,fato imperatori ſapientis induſtriam à doctrina, magni nomen ab amplitudine rerum quæreret, haud alium ad eam rem adhibendum cenſuit, quàm quem optimum ſenſit. Et cupidè factam bene merendi de Principe copiam noſter arripuit, id agentibus fatis, vt adiret orbis imperium Ariſtotelis Philoſophia, quemque in alumno paludata vinceret, in ipſo palliata erudiret. Et principio quidem aggreſſus iuuenem cogitabat ſolum Macedoniç Principem, fingebat patrem patriæ,deſtinabat Arbitrum Graciæ,& vbi peruidit penitus indolem ad omnem elegantiam comparatam in primis, bonam in paucis, ingenium ſuppar ſuo, iudicium præter annos, animum vrbe maiorem; venit in ſpem ſcilicet poſſe vnum rebus imponi caput, orbem quantus eſt ab hoc animo poſſe vinci, ab hac mente Regi, vnumque eſſe non iam modo mole ſed capite: ſi Philoſophiæ ſtipendiis militaret ille animus, ſi conſiliis mens illa regeretur. Iam vtri felicius euenerit, definire ſit arduum, debet enim alumno noſter decus illud ingens, & proprium, quod victorem orbis ſpe magna traditum ad res maximas ſuo ſinu emiſit. cui debet viciſſim ille quod ad liberalem naturam diſciplinæ præſidium ſine quo indoles iacuiſſet acceſſit,auxit ille diſcipulum,qui enim Alexandrum acceperat magnum

dedit magiſtrum hic extulit cui magnitudinem quanta erat aut clientem demiſit, aut vectigalem diuiſit, habet ille documentorum gloriam, hic factorum & fortè non minus eſt magnarum rerum authorem eſſe conſilio proprio, quam patratorem & artificem alieno, vt- vt ſit liberalium diſciplinarum ſtudium confecit hoc Duce, cognouit Philoſophiam hoc interprete, victoriarum itinera deſignauit hoc iudice, cumque magna per ſe voluerет ingens animus, niſi de magiſtri ſententia magnificè non euoluit.

Itaque erudito illo decennio, quo ad ſuburbanas Myſiæ vmbras fingebatur orbis imperio, proludebat in arena litteraria Martio pulueri, velitabat caris caſtrēſibus meditatione domeſtica, & lauros vmbratiles campeſtribus miſcebat, docebatur tumultus bellicos frangere patientia, nutu cōpeſcere, lingua cōponere mora ſedare. Ibi eruditi gloriam prenſabat in Phyſicis, ſolertis in Logicis, ſapiētis in Ethica, principis in Politica, in Mathematica ducis, in Metaphyſica Religioſi. In eo ſeceſſu tāto ante, ceu oraculo præceptoris vaticini, doctus eſt, donandos trybados ne domi meditantem extera retinerent, ſtrangendam Thebanam rem, vt timeret Græcia, Athenas conciliandas fœdere vt amaret. Peregit animo quî ad Granicum vinceret, pro auſpicio qui tyrū caperet, ne oceanus meta qui Gazam ne muñita monte ciuitas eſſet moræ. Audiebat in illo, negotiorū ſeminibus, otio non inerti, qua occurrendum Dario ne cum loco pugnaret, quo aſpectu ſolis ne perſtrictis hoſtem eriperet: qua exer-

c.tus

exercitus forma, ne numerus fraudi eſſet, Monebatur agendum cum ſuis familiariter ad ſui Cuſtodiam, cum fortibus liberaliter ad victoriam, cum captis humaniter ad amores publicos cum Reginis continenter ad priuatam morum admirationem, diſcebat perpetranda bella ne rurſus erumperent, Aſiaticis moribus vtẽdum, & veſtibus, vt ſuum Principem eum crederent, vellẽt, modũ agendũ Aſiaticũ vt Macedones eſſe amarent, iubebatur eruditos qui viuerent colere, qui nomini famam, facerent, factis memoriam; qui vixiſſent habere crebros in Manibus, vt doctiorem efficerent, nec Iouem ambiendum Patrem, ne ſi Patrem quæreret, incerti, ne dum Philipi audiret; Condendam denique de ſuo nomine vrbem ſe digna, quæ Nomen immortalitati maritaret.

his imbutum artibus Principem cum ad mentem ſuam proxime conformaſſet, colebat vt alienus, deligebat vt parens, hoc impenſius etiã quàm ſi pater fuiſſet, quod magnos ſuſcipi, felicitatis, & caſus eſt, erudiri virtutis. At Alexãder quãtum apud ſe boni poſuiſſet haud neſcius, tantum obſeruantiæ, ſtudiique repoſuit, nam poſſe item apud ſe plurimum voluit, qui ſibi plurimum voluiſſet, & Philoſophiã quam in ſe Coronatam regno extulerat, in authore ſubditam ornauit honoribus, auxit opibus, dotauit annulo, purpura accendit, gratia pene Reginam in imperij conſortium adoptauit. Argumento ſunt commendatitiæ litteræ; qui ab Ariſtotele impetraſſet ad Principem, nihil ab illo non facile impetrabat, Argumento Theophraſti patria, Regis iracundiæ, cladique ſub-

ducta, quando pro Philoſopho amauit eatenus poſſe plurimum, vt pluribus item prodeſſet, Argumento Stagyra à Philipo euerſa, à filio reſtituta, ne non eſſet ei patria qui ſibi pater fuiſſet, eius natale ſolum interiret, qui nunquam interire meruiſſet, quod quidem tam egregie tranſactum arbitror ab Ariſtotele quàm actum ab Alexandro gratioſe. Quippe patriæ patrem, & beneficum hamanitati numen ita ſe præſtitit, vt cum domandorum hominum furorem gloriam principi delegaſſet, reſeruaſſe ſibi videatur partes & gratiam ſeruandorum. Iam ſi populares quotannis beneficij Memoriam Ariſtoteleo feſto, ſtagiritæ menſe conſecrato patroni nomine repetunt, tam in ſe ſplede faciunr, quàm in reparatorem piè, qui cum patriam non inſtaurauerit modo gratiâ ſed etiam gloria Nobilitarit, minus intererat, eius nominis de patria ſtagiritem dici, quam patriæ de tanto municipe Ariſtotelcam nominari.

Nec illis ego quidem aſſentior qui tranſlatum ab eo ſuſpicionibus Alexandri animum ex eo memorant, quod agnato caliſthene quem in Aſiam mouenti laudauerat coniurationis cum hermolao comperto, facinoris inuidiam in affinem extenderit; ſed ſua illum prauitas perdidit, ſua noſtro innocentia inoffenſam Alumni gratiam conſeruauit, qui ſatis noſſet, niſi qui eſſet optimus, Ariſtoteli affinem non eſſe. Et conſtat inter armorum ſtrepitum & gloriam triumphorum, audito, non nihil de Philoſophia emiſiſſe in vulgus, dediſſe litteras, & ſtudij plenas & humanitatis, quibus eius Conſilium eo ſibi haud vſquequaque probari diceret,

diceret, verito ne ſi diſciplinæ ſuę Myſteria publica faceret, nihil ipſe populo præterquam fortuna emineret. Conſtat luculentam illam de animalibus Hiſtoriam, pari Ariſtotelis diligentia & liberalitate Principis laboratum, cum enim illud ſcribendi genus ſtudio & ingenio confici, & niſi magnis impendiis demum non poſſet, priuatum hominem, rei parem ingenio, imparem patrimonio, publico adiuuit ærario, & ſuppeditatis de ſuo talentis octingentis, id eſt ad huius temporis calculos quater centenis & octogenis coronatorum Millibus, glorioſi operis partem vltimam non tam ademit authori, quam emit ſibi. Vnde quaqua verſum venatoribus diſſipatis conquiſitæ Animantes Ariſtoteli ſiſterentur, ceu naturæ genio, ſuppari ſapientia pernoſcendæ, ac in ortu rerum olim fuerant à Principe generis nominatæ, qua in re certauit Alexandri Munificentia, cum magiſtri Induſtria neſcius vtrum capacius in Imperatoris ærarium, an clientis ingenium, an orbis pomœrium, ſpeculandum orbem obtulit illius potentia & quidquid vſpiam raro conſpicitur domeſticum Ariſtoteli ſpectaculum fecit, quod corraſerat ignara potentia, ſuum facile fecit huius induſtria, dum quod de alieno vidit, de ſuo ſciuit & docuit; debet enim Principi difficultates tantum quas vicit, latebras arcanorum, quæ prodidit, operoſum negotium quod confecit, breui emit ille argumentum Hiſtoriæ hic Hiſtoriam omni maiorem pretio inemptam vulgauit, emit ille magno rem paris operæ, hic operam non redemit pretio ſed gratia ademit, & ſciendi moras ſu-

ſtuliſſe poſteris,hauq fuit aliad quàm adAriſtotelẽ attuliſſe,nihil enim fecerat Alexander ærario,ſi nihil Ariſtoteles perfeciſſet ingenio,&cui operi ęrant impares orientis Manubiæ, ſupplemento induſtriæ, dicam an cumulo noſter abſoluit;hoc tamen maximus Alexander quod Ariſtoteli ſubdidit vectigale imperium, quod eius communicauit gloriæ dum quaſi fœnore deſeruiuit & victoriam ſuam ſubactumque quantus eſt, orbem indagatrici Philoſophiæ: Therio Trophium & poſſeſſionem addixit. Sunt adeo qui exiſtiment in expeditionem abeunti viæ additum comitem; & rerum gerendarum in præſenti authorem, quando duce harum ſupra quinquagenas & quinque ciuitatum,inſtitutis & legibus,ſeu tropheis & ſpoliis Philoſophiæ, Lycœi ærarium locupletauit. Sed Alumnum eneritum etrude donatum emiſiſſe, proprius vero eſt qui profecto nec abalienaſſet Macedonas cultu perſico, nec de medio ſuſtuliſſet fidiſſimos, impetu barbaro, nec rerum, famæ vitæque naufragium in vinofeciſſet, ſi quem moderatorem audierat coram monitorem audiſſet, ſed Næuum hunc Alexandri nomini ingenium felicitatis aſperſit, vt Ariſtotelis fuiſſe videatur quod pulchrè quod impotenter & fœdè fecerit tantumſuum.

Illud aptius ad fidem obtinuit dum eius bellatrix in diſcipulo Philoſophia armis erudit, dum vincit Athenas nec priuati meriti, nec eius ipſe publice meritorum Immemores ſpeuſippo fatis & ſcholis ſucto adMeditatricis munia euocaſſe, diuiſoque Magiſterij ſiue onere, ſiue honore; dum Xenocrates Academiam

tenet, noſtrum in Lycœo docuiſſe, & pertinuit ad eius gloriam vt æmulus cum Collega contingeret, ne vnis auditoribus Doctrina præcelleret, ſi ſolus doceret. Ad illum enim Xenocrates cætera maximus, hoc ſolum decreuit, quod maiori congreſſu magnitudini ſuæ nocuit, alienæ ſeruiuit, & veró ſi quod alias, Philoſophicum certe fuit hoc ſæculum, quando in Ariſtotelis mente Principem & eius ore inclitam ſobolem, in ſcriptis æternitatem nacta Philoſophia, cum non haberet vltra quod votis peteret, habuit quod timeret, ne proceſſu temporum de faſtigio deuoluta quia maior eſſe poſſe deſierat, aliquando inciperet minoreſſe, nam tredecim illis Annis quibus auditus eſt meditationibus manum vltimam ceu tabulis finitiones, ſingulis partibus; Philoſophiæ, corpori bonum ab ingenio lumen addidit, & anguſtis antea finibus inter errores hoſticos imperantem, ſibi redditam longius in poſſeſſiones nouas mentis acie intulit, quam inclyta palmis acie diſcipulus victor orbis extendit, dedit illi rationem logicam à conſiliis ne erraret, Deum eius incluſit imperio vt pia eſſet, orbem vt late regeret, cœlos ne iaceret aut reperet, aſtra ne cœcutirte, elemeata ſubdidit vt ſublunaribus non intereſſet modo Corpore ſed præeſſet & mente, Mixta tradidit ad Delicias, metalla ad opes, ad ornatũ gemmas, affectus ad vſum, cauſas ad ſtudium, vires abditas ad Myſterium artes cæteras ad Miniſterium; præfecit plantis vt ruſticari poſſet in otio animantibus vt Cicures faceret, homini in quo ipſa quidẽ vna, per ipſum eadẽ omnibus imperaret.

Et hæc rudis Philoſophiæ per ſumma capita deſignatio tantum eſt quam lineis omnibus abſolutam Ariſtoteles mente geſtabat, eam verò quia non ſecus quàm in ſe, Regnare cupiebat in aliis impertiebat, publice ſine inuidia ac ſi minus vulgo caperetur faciebat ingeniorum iniquitas, quibus non erat integrum tantum diſcere, quantum Ariſtoteli promptum erat Docere, quamquam operæ grande pretium tum Sectatorum numerus & præſtantia, tum aſſequi deſperantium diſceſſio fecit, eſt enim profectò ratum ad ſcientiæ gloriam humanarum genus ea laudum concordia diuiſiſſe, vt ſectatores niſi ſummos fecerit, Reliquos ſequendi impares habuerit admiratores: ego tamen hanc gloriæ meſſem haud adeo miror, cum reputo ſementem laboris, ſic enim animo acquieſcebat in ſtudiis, vt Corpori quietem ſubtraheret, ferunt enim interpellatorem ſtudiorum ſomnum globo æreo quem reſolutis ſopore manibus lapſum cum ſtrepitu ſubiecta peluis exciperet, intercalaribus vigiliis ſolitum ſubmouere, rarum inuentum, ſui excubitor animus ad repentem ex inſidiis interuenturorum hoſtem ſui proditorem facit & indicem, non aliàs ſoporem fugat præſentius, quàm præſenti ſopore, nunquam minus ſomniat quàm in ſomno, qui non vt alij excitatore peruigili, ſed monitore ſomno, expergiſcit: nam ſomnus nunquam abeſſe propior, quàm cum aderat, pene ligatum ſolucbat animum, dum Corpus reſolueret, vincebat ipſe ſe, ſua victoria, abrumpebat nexu, expellebat appulſu, nec tam eripiebat ſtudiis Ariſtotelem feſſum, quam recentem reddebat.

Iam

Iam his ſtudiis elucabrata vigilataque Philoſophia quia per manus tradita vel ſenio rerum alia ſiceri, vel vitio temporum obruto patentis nomine credi poterat aliena, Mandandum inſtrumento publico mentis Autographum cenſuit, non tam ad priuatam gloriam adſcripto nomine, quàm ad anthoritatem publicam & fidem ſubſcripto, ſcripſit erga ſed ea varietate vt nihil intactum, ea copiam vt nil è manibus emiſerit iterato tangendum, eo numero vt quadringenta ediderit, ea ſingulorum præſtantia quaſi ſingulis ætatem ipſam inſudarit, ac logicam quidem non tam ſcripſit quam fecit, quam cum non inueniſſet, relictam, iuuentam reliquit. Præcepit de Rethorica ſine fuco, de Poëtica ſine mendacio, de Philoſophia ſine exemplo, cum de Iuſtitia diſputat Prætorem pronuncies, cum de Republica Conſulem, cum de Medica auum Machaonem, cum de ruſtico colonum, cum de natura genium, cum de œconomica patremfamilias, cum de Regno Principem, cum de politica Imperatorem, nemo ſit vnus qui de ſenſu diſputantem non ſentiat, parum de ſe ſenſibus crediddiſſe, qui non videat pernoctantem ſtudiis, cum de inſomniis, cum deſomno inſomnem, cum de diuinatione per ſomnia non niſi diuinitus ſomniaſſe. Præcepit de iuuentute ſeniliter, de ſenectute viriliter, de perturbationibus ordinatiſſime, de inordinatis compoſite, de conuiuio ſobrie, de non gignendo quaſi immunis à corpore, de vita quaſi non viueret, de morte quaſi fatum expertus in vitam denuo rediiſſet, quam verò ſibi concolor cum de coloribus, quàm

veri tenax & perſpicax cum de ſophiſmatis, quam terris ſuperior cum de Meteoris, quàm curioſus cum de prouerbiis quàm appoſite cum de parabolis, quamto ordine cum de meto dicis.

Reliquit apologias vt cui culpa non obfuit prodeſſet calumnia, de dictione prodidit, vt nõ ſapiẽdi modo author eſſet, ſed perinde dicẽdi, ſcripſit Epiſtolas vt latius pateret vtilitas quæ non auditoribus modo adeſſet, ſed abſentes adiret, emiſit artis Compendium ſine diſpendio, Epicheremata docuit quaſi in manum haberet, definitiones quaſi naturas creaſſet, diuiſiones quaſi compoſuiſſet, diuiſibilia quaſi Conglutinaſſet, contraria quaſi rebus inimicitias indidiſſet, contingentia quaſi nihil ipſi contingeret quod prouiſione certum non eſſet, de Eligibili quaſi Arbiter rerum eſſet, ſcripſit de amore caſtè, de Amicitia humaniter, de nobilitate magnificè, abſtinenter de diuitiis, de tolerantia fortiter, moderate de ira, de voluptate continenter, de monade vnicè, de memoria ingenioſe, de ſcientia doctè, de conſilio prouide, de principio piè, de bono optimè, de pulchro pulcherrimè, de virtute diuinè: ſolidum ſentias cum agit de lineis, ſubtilem cum de corporibus, liberalem cum de mechanicis, cum de liberalibus & ingenuis artibus doctrinæ prodigum, ingenij non egenum, vatem cum tempora coniicit, Licurgum cum leges præcipit cum miranda narrat, ante narrata miracula mirere narrantem, cum de Geometria diſſerit dicas ingenio metienti omnia, parem menſuram non

eſſe

eſſe in Phyſiognomia iures Conſcium pectoris, in muſica ubi conſonum, in Arithmetica numeris omnibus abſolutum, in paruis naturalibus magnum natura, majorem induſtriâ, in magnis moralibus non modo ſuo more maximum, ſed prætcrea moribus optimum, interminum in infinito, nec minorem in puncto, in Metaphiſica quia parem materiæ ſe ipſo non parum homineque maiorem inductorem credus dictum à ſingulis in Iſagoge artium, in aſtronomia ſyderibus aut interfuiſſe oculis aut imperiis præfuiſſe, in problematis vt dubitandi locum omnibus tolleret, dubitare voluiſſe, ſcripſit de Elementis ſed Elementarius nihil, de plantis quaſi tranſcenderet, de anima quaſi ſeparatam vidiſſet, de Deo quaſi præſentem ſentiret: denique Sophiſtas poſtquam ex ipſo cognoueris, oderis, Platonem faſtidias, cum hunc de idea legeris, damnes alios poſtquam hunc Cenſorem audieris, Ariſtotelem cunctis præhabeas, vel ſi poſt omnes adieris.

Atque hos tanto numero ſcripſit heredes ſui, ſed non ex aſſe, & tam populoſa nobilium operum ſoboles, pars tantum parentis fuit: cuius gloriæ reliquam mors ipſi dum eripuit, præcipuit poſteritati quem ante denas ei voluit, quam integro licuerit in emeritam fati vitam renaſci, cæterum ex iſta ſui duplicata parte q antum famæ collegerit, vel hinc exiſtima; quod ex illo curriculo temporum tantum ad nos peruenit; quantus enim fuit ætate ſua qui ſuperat tantus noſtra, & per interlabentium annorũ ſolemnes iniurias, nec recẽti euaſit obſcurior, nec maximo minor. Sed iniquo re-

rerum magnarum fato dum prodeſt aliis,nocuit ſibi, fecit vmbram magnitudine dum aſſurgit, luce caliginem dum præſtringit, nec alia re magis ab aliquibus male audiit quam quod cum auditur publice ab omnibus bene audit,legimus enim ab Eurim edonte neſcio quo ſycophanta verius & ſacrilego quàm ſacrificulo Cereris, & hierophanta, delatum impietatis in ſuperos Athenis vbi calumniæ locus eſſet, quod enim ſcelus ab Ariſtotelis moribus tam alienis quàm impietas?niſi forte Deos omnes læſit qui vnum agnouit;male ſenſit qui hac partepene chriſtianus fuit, parum coluit cui ſuprema vox, ens entium appellantis fuit. Pertinebat tamen ad abſolutam eius gloriæ tabulam, ille ab vmbra fulgor igneſcens & gratia, ne quàm egregie memoriæ partem deſideraret. Iam enim omnibus ſuffragiis Philoſophiæ Regnum abſtulerat, ſuum virtuti periculum debebatur, vt ſapientiæ templo Antiſtes præeſſent & præcepta ſua de moribus non exemplis aliis exornaret,quàm ſuis, & crimen quidem ne adhæreſceret Philoſophiæ ſcripto refellit,quod quia veritati dederat magis quam ſibi,illam quidem aſſeruit à mendatio,non caput item à periculo, nomen ab odio,quādo Philoſophi vita quanti eſſet intelligens ex ſuo pretio, quàm parui Athenis eſſet ſocratis fato, decedendum inuidiæ iudicauit, cum diceret nequaquam paſſurum vt in Philoſophiam denuo Athenienſes peccarent, ſolum ergo facile vertit in Chalcidem, certus vbique inuenturum ſe patriā qui municipē& ciuē orbis Philoſophiam ſecum ferret,ea verò ſedem mu-

tauit,

tauit conſtantia, vt in fortuna gemina idem & vnus fuerit, cum eius inæqualitatem omnem æquate de ſuo, cuius nec Beneficiis creuerit, nec decreuerit odiis, vt ſi de illo ſe fortuna æſtimet, poſſet ſibi Conſtans videri.

Eo reflatu rerum & turbine impulſum in portum, ceu pulſum Athenis numen; Antipater texit, & coluit, ipſe verò ſtudiis redditus, cum ſæpe antea diceret litteras ornamento eſſe in proſperis, in aduerſis perfugio, tunc expertus haud paulo certius, quàm meditatus docuerit; didicit, cui Philoſophia, ſit negotium, ei nullum iners eſſe poſſe otium, nec ſeceſſum obſcurum, quia enim magna ferme euileſcunt præſentia apud nos maiora ſemper cum nulla, valuit ad præſentiæ pretium abſuiſſe, nam raro virtutis ingenio de Maligna ſeméte meſsé optimam fecit. Impleuit Athenas ſuo nomine, cum abeſſet, nec vnquam ſic in ore omnium, atque oculis fuit, quàm cum audiri deſiit & videri, quamquam etiam abitus ille imminentis obitus rudimentum aliquod & portentum fuit, illudque Athenarum deſiderium breui humano generi deſiderandum oſtendit.

Atque hic hactenus querimur, quaſi ſol imprudentibus oculis poſſit occidere, occaſum Ariſtotelis non doleri modo tandiu, ſed etiam diſputari, credas vindici ſuo veritatem immortuam cuius vna mors non caret mendatio, quando nec dubio., aliorum vita fabula eſt, mors nunquam eſt ſcenica, Ariſtotelis veritas vita, mors fabula, quæ quia veritatis arbitro poſthúma exiit, adhuc viuit, alij ſi quidem cauſas Euripi deſperantem vndis præcipitant, æſtum

æſtũ quia capere nõ potuit æſtu captum;fabulæ quaſi vitam crimini alieno ſubduxerit, vt reſeruaret ſuo, aut in parte naturæ hæſerit qui totam tranſcendit & docuit, ſunt qui ex delato nomine impatientem dedecoris aconito perdant, vigilata perperam ſomnia, quaſi tam male ſibi, æmulis tam bene voluerit, vt pulchræ vitæ hunc exitum, famæ hunc Næuum, hoſtibus palmam, criminis ſuſpicionis cauſam ſponte Reliquerit. Meliori fide Appollodorus morbo extinctum prodidit, ſeptuagenario haud admodum minorem, poſtquam ea forma vixiſſet, vt nec ſi diuturnitatem putes, mori pigeret, nec ſi pulchritudinem vixiſſe pæniteret. Et par erat vt poſtquam abunde fecerat Philoſophiæ quando non porro fama maior eſſe iam poterat; nec Melior vita ſtaret, eamque viuendi metam faceret quæ mortalibus eſt ſciendi, nec demigrandi moram vitæ amor iniiceret quid ni enim? facile vitam morti permitteret, cuius partem optimam partus ingenij iam tranſmiſerat immortalitati. Prouiderat enim ipſe deſiderio ſui, qui poſtquam audiri, & videri non potuit, legi; nobiſque ſeipſum, haud ferme alium niſi quod fati liberum credidit, cum pro ſe Librariam ſubdidit familiam Liberorum, Cæterum optimus ſi vnquam alias, actor in Clauſula nihil egit pulchrius quàm quod agere diſiit, & pars fuit vitæ pulcherrima ſeu ſupremum viuere, ſeu primum vixiſſe, nihil properauit interitum quaſi vitam odiſſet, nec vitam traxit quaſi mortem timeret, vtrius que poteſtatem in arbitrio habuit, quia impotentius neutrum ambiuit, ratus hanc reuerentiam

tiam habendam authori, vt hac parte quidquid neceſſarium vitæ imponeret, obſequendi ſtudio voluntarium nobis eſſet.

Itaque de vita non euaſurus vt Cato non exigendus vt Seneca non deſcripturus vt Socrates ſed ſapientior & prouide tanquam in melius migraturus condit non tam fortunarum teſtamentum quam teſtimonium, inſtrumentumque virtutum; Antipatrum omnium curatorem inſtituit, in quo ſuas de familia curas vltra vitam extendit, Theophraſtum cui quod nomen pro laude dederat, pro legato reliquit, Nicomachi, & Pithiadis prolis geminæ tutorem dixit, vt quos ſuſtulerat Philoſophia tutaretur, & facile pro patre colerent; quem ſimillimum patri ſcirent, coniugi conſuluit, vt indidem eſſet in illius maxime deſiderio quod proſpexerat vt minimè deſideraret Nicanorem verò eius qui ſe puerum pupillumque collegerat, hoſpitis filium, cum pro ſuo dum vixit habuiſſet, moriens in Patrimonij partem ſcripto vocauit in familiam matrimonio, cui filiam coniugem ſcripſit, & rara gratiarum vice ſimul hæreditatis parte donauit & ſanguinis. De ſeruis egregiè meminit quos liberos fecit, de maioribus pie quibus imagines curauit, de amicis officioſè quibus cum ante ſe, ſua tum inſuper credidit: religioſè de ſuperis, quibus quas legauit ſtatuas ſacras fecit, atque in eo procinctu immortalitati ne quid mortale tum faceret primum, voluntatem vltimam, ſupremas etiam ſubinde voces ſanctius quam pro Ethnico conſecrauit, vt ex hoc temporis vtriuſque conficio palam

fue

fuerit, vixiſſe Philoſophum, Theologum abiiſſe.

Pompam funeri fecit orbis, qui fecerat ſaluti, adfuere pro præficis litteræ, patrem orbitate ſua probaturæ, patentauit eius tum quidem cineri dolor ſuorum temporum, & parentat adhuc manibus honor, & reuerentia ſæculorum; nec aliquis eſt qui eius mortem quia iacturam publicam,non interpretetur & ſuam; at Philoſophia plus ex eo fuerit lucri dum viuit, an plus in eo dãni dum vixit ægrè pronuntiem, ſe ipſam enim ex illo receperat, illo pene amiſit, perituram ex toto, ſi fato ille totius in ſolidum interiiſſet:illud vero definire nō auſim,feliciorne Philoſophia quod eã inuenerit inconditã,an quod reliquerit abſolutã;nã ante poterat ex illo creſcere, iam niſi minor non poteſt eſſe,habere prius Ariſtotelem poterat,quem nec diutinum habere potuit, nec ereptum ſupplere. Crediderim tamen nec Ariſtoteli factam iniuriam admodum, nec arti noſtræ iacturam, ille enim ab obitu cum ingenio ſuo mundum impleuerit, meliorem vitam interitu lucri fecit,magnus autem & eminens eſt qui ſic iacet, viuax in cinere, pulcher in pulucre, publica vita honeſtior quàm priuata, noſtra, quam ſua; quorum in animis viuit, nam amatur & colitur, verſatur in ore nam laudibus celebratur, Philoſophia verò popularior iam, aditu facilior, non alumnorum vt ante numerat Senatum, ſed populum;quocumque Ariſtotelem attulit, Athenas fecit,quas hac ætate tot ferè nacta, quot vrbes, quot gymnaſia, tot cycæa quot profeſſores

res,tot ſi minus Ariſtoteles,at certe Ariſtotelis ſectator, cuius vbique magiſterio fruitur, quamquam miniſterio vtitur alieno, nam etſi non vnum habet dicentem in exedris, vnum tamen qua patet orbis, de Peripatetico pulpito ex omnibus audit docentem.

Atque hæc pia deuotione Philoſophici muneris & libatione primula ſtudiorum, ornando vtcumque Ariſtoteli hactenus impenſa ſint ſatis, de quo ſi quidem pro dignitate viri veſtra in illum voluntate minus,pro faſtidio forſitam minus, at pro virili certe mea parte ſatis admodum,atque ex animo meo, dixi.

LVDO

LVDOVICO XIII. REGI CHRISTIANISSIMO Nancæij expugnatori, PANEGYRICVS

Dictus à Franciſco de l'Hoſpital, Marchione de Vitry, anno ætatis duodecimo.

Authore

P. IACOBO LAMBERT E SOCIETATE IESV.

IMmortalem apud poſteros bellicis ſibi peperit factis Achilles gloriam; Homerus ſcriptis de eo carminibus nomen itidem ſuum æternitati conſecrauit: illi tamen quam huic ſupparem ſe maluiſſet Themiſtocles, quia

Hic

Hieronicæ decus , Præconis muneri in ludis Olympicis præopptabat . Auditores Verumtamen Achillis non inuidit gloriæ Alexander Macedo , niſi quia præconem laudum ſuarum Homerum nactus fuerat , cuius ſubuectus ingenio per omnes volitabat orbis regiones , ſuum aliàs nomen cum cadauere corrumpendum , eodem in tumulo relicturus . Nimirum qui multa debebat animo ſuo , plura Homeri ingenio etiamnum debet, cui niſi placuiſſet,placeret nemini quippe omnibus prorſus ignotus , fruſtaquead templum Gloriæ affectaſſet viam,niſi cæcus iſte oculatiſſimus ſe illi ducem præbuiſſet.

Mihi certè quem ætatis teneritudo , nobili Muſarum addicit otio , prægeſtientique ad gratum Martis negotium animo,tantiſper moras obijcit , dum annis adiutus , illas generoſè eluctetur , placet non Achillis , ſed Ludouici præconem agere : Placet ſub Suadę vexillis merere linguâ non manu ; Principique meo non tam decus afferre,quàm mihi ; cùm illi vni ſua virtus fœliciter damnoſa ,ſicut laudes cum næuis excludit , vt ſemper minores ; ita laudes nullis næuis infuſcatas , vel in ipſos præconum ſuorum conatus refundat copioſiſſimè. Erit ſcilicet,erit aliquãdo illud tempus neq; vero anhelantis ad paternum decus nati pia ſuperi vota diu different) erit, inquam , illud tempus , cùm dextram hanc pectuſque iſtud tibi,Ludouice,authorabo,cum tuis ſub auſpicijs , vel decoro ſordidus puluere , vel proprio ruſſatus ſanguine , te Honoris ſcamma feliciter emetientem aſſectabor;

&

& inter nobiles Idumææ palmas, meis forte irrigata ſudoribus Lilia tua apices ſuos cum maieſtatem proferent; dum tu Gloriæ infuſus vlnis, cœlo ipſi terræque ſpectabilis ſuauiſſimè acquieſces.

Patere intereà, Rex Maxime, quod à te factum eſt fortiter, dici à me breuiter, vt ſaltem orationis meæ vitia virtutum tuarum narratione caſtigentur: patere vt lauris tuis decerptos ex Suadæ hortis floſculos intertexam: nam & Marti cum pallade conſenſio eſt, placuitque olim Spartanis ante conflictum Muſis litare, quæ ſi in acie locum obtinuerunt aliquem, poſt reportatam certè victoriam ſibi vindicarunt non poſtremum, cùm ſuauiùs longè afficiantur dum pacem commendant iam partam, quàm dum illam in bello parturiunt.

Vos verò, Audit. tarditatem meam nolite damnare, fateor pronius eſt Ludouico magna facere, quàm mihi dicere eloquentiæ vix dum tyroni: quamquam ne ipſi quidem in hac militia emeriti relatæ victoriæ amplitudinem, quãtum libet longo ad meditandum ſumpto tempore, poſſent pro dignitate enarrare. Atque vtinam vel poſt elapſum ab hac victoria tempus, dignum aliquid Ludouici fortitudine, dignum veſtris auribus animiſque poſſem afferre; iſtius certè non pigeret moræ, quam ſi aliàs nonnullam poſſit Flexanima, cùm Principum trophæa exornando ſunt, tùm poſcit vel longiſſimam. Nec iniuriâ ſane: ſicut enim Natura, quæ in aliarum arborum fructibus protrudendis, vel feſtinat vel feſ-

tinare

tinare velle videtur; lentas, ac propemodum faſtidioſas annui ſpatij in excoquendis palmæ dactylis quaſi de induſtria ponit moras: ita & Pitho noſtra, quæ in cæteris celeritatis ambit gloriam, in palmis Victorum excolendis affectat tarditatem.

Sed ecce dum in hoc diutiùs hæreo limine, Ludouicum Luteciâ excedentem memoria mihi obiicit, magna Nobilium ſtipatum catetua, quos exemplum generoſiſſimi Principis ex mediis Aulæ deliciis, velut ex vmbraculis, in ſolem ac puluerem ſtrenuiſſimos producit Quinquertiones. Pergite tanto Duce fortunati milites, nihil ſub illius formidandum auſpiciis, deſperandum nihil: nam neque pericula formidinem vobis incutient quæ æterni fontes decoris Regis præſentia commutabit; & ſpem accendant, quam, ſi Ludouicum imitamini, vel ipſæ, quibus retardari videbitur, difficultates, validiſſimè concitabunt. Latrantis è cœlo Sirii nolite vim pertimeſcere; Ludouici turmis non nocent ſydera, cui cœlum fauet. Ne obſidendæ à vobis ciuitatis propugnacula animos frangãt; illa ſiquidem & firmiori vallo oppugnabit Ludouici Fortitudo; & facta è cœlis impreſſione Ludouici Pietas fœliciter expugnabit. Ne auxiliarium copiarum rumor timorem vobis incutiat, nam ſicut Gallici nominis fama percellit alios, ita Gallos aliena non percellit; aut ſi percellit tantiſper, metum idcirco admittunt, vt exploratus ipſius ſtimulis animus, ex iis latebris in quas fictâ ſe abſtruſerat fugâ tantò fortior fidentiorque erumpat. Sic quæ cæteris

mares in pectore frangit formido ſpiritus, ſibi ipſi præuaricans Gallis aggerat, quos nouit orbis vniuerſus timidos eſſe nunquam magis, quàm cùm timere vel debuerunt vel voluerunt; nunquam ſecuriores quàm cùm tuti non ſunt quia ipſis animam quidem reuellere poteſt gladius, animum nihil. Ad extremum pergite, aut volate potiùs ποτηναὶ ϛρατιῶται ſupra Melophoros Perſarum ornati, ſupra ἥλικας Antiochi formoſi, ſupra Alexandri Argyraſpidas fortes & inuicti; volate in campum Gloriæ, vbi ipſa paſſis vos expectat vlnis: ſed capita coronis cingite non galcis Spartanorum ritu pugnaturi; pugnate coronati, quia veſtro Imperatori pugnare & vincere idem eſt.

Pergunt, Auditores, ſub tanto Imperatore læti, gloriabundique Milites; ſed Lutetia ob regis diſceſſum mœrore pene contabeſcit; ipſeque, adeò Lutetiæ Genius, niſi Iuſtitiam mouentem ducentemque inſpexiſſet, ſibi clientibuſque ſuis iniuriam irrogari non vulgarem fuiſſet quiritatus. Non potuit tamen abeuntem mœſtis hiſce vocibus ſuorum nomine non proſequi. Ergo abis Ludouice diu abſfuturus? Ergo tuo conſpectu mihi meiſque per multos menſes frui non dabitur? Tuum ergo illud os, in quo cœleſtes ſpirant Charites non licebit intueri? non facta cernere funeſta Vitio, Virtuti auſpicata; tuis non cerni oculis, ad laborum leuamen, incitamentum Pietatis?

Hic erat ſcilicet Franciæ ſenſus vniuerſæ, cuius interpres Genius Ludouicum

cum ſic compellabat. Et verò, Aud. nos ipſi quibus locorum interualla frequentiorem Regis cōſpectum inuident, an non & hanc profectionem, quæ ipſum à nobis longiùs auellebat, vt votis contrariam noſtris propè damnaſſemus, niſi Amori obſtruxiſſet os Iuſtitia; quæ tamen perſuadere non potuit credulis ſemper in perniciem ſuam mentibus noſtris, quin reuulſum Luparæ Ludouicum, Vrbi, quam Fama ſoli expugnabilem fami, & quidem non niſi poſt annos aliquot eſſe iactabat, ad multos ſaltem mēſes affigeret. Exijt tamen Luteriá, Auguſto exeunte Ludouicus; & ineunte Octobri (quis niſi factum videret, fieri potuiſſe credidiſſet?) Lutetiam redijt Ludouicus. Audiat terra quanta quanta eſt, & vocem æternâ dignam memoriâ in factis duntaxat ſuperſtitem, Echo non perfunctoriè, vt ſolet, ſed validâ pertinacique reparatione conſeruet. Nancæium à Ludouico intra menſem fuit Expugnatum. Fides Numinum! quantulo tempore, quantum opus peractum eſt? Vrbs illa, mœnibus cincta firmiſſimis, propugnaculis circumuallata inexpugnabilibus, commeatu plurimo, reliquoque ad vim ferendam vel inferendam apparatu inſtructiſſima: vno verbo, terror vicinorum, diſſitorum ſtupor, Europæ miraculum, Bellonæ armamentarium, menſis vnius ſpatio à Ludouico fuit expugnata. Hoc ego certè cum dico, nihil breuius; cum cogito, ad gloriæ ſplendorem & immortalitatem vberius nihil animo fingi poſſe exiſtimo.

Ne mihi tamen inuidia, vt olim dormientis in

Thimotei ſinum, ſic in Ludouici manum vrbes vel ſponte inuolantes,vel à fortuna coniectas nigræ ſucco lolliginis depingat inſolentiùs: Virtute duce,comitte Fortunâ, Lotharingiam ſuis luſtrauit victoriis, ſicut antehac Galliam Italiamque ſuis triumphis illuſtrarat. Nimirum qui cæteris præeſt Ludouicus, Virtuti ſubeſt, & nobilibus ab ipſa implexus catenis,Gallos illi ſecum liberrimâ mancipāt ſeruitute: gratius eſt Ludouico Virtutis aris adſterni, quàm affuſos pedibus ſuis populos cernere; Principiſque nomen reſpueret,niſi cum potentiâ daret & Virtutis decus ab omni iniuriâ vindicare. Itaque dum Ludouici victoriam canimus, virtutis triumphum prædicamus: Sed cuius tandem? nam & qui in Pectoris ſuis Pantheo vniuerſis aras exſtruxit, quas in aliis ſingulas veneramur, eaſdem in huius pompæ apparatu innoxiâ inter ſe decertantes contenſione patitur. Tantæne animis cœleſtibus iræ?Ergone Virgines iſtæ cœlorum indignæ, cœlorum decus, quas, licet amiciſſimas, raro tamen fœdere in animo ſuo copulauit Ludouicus, dum palmam vindicant ſibi ſingulæ, palmam in medio relinquent? Fœlix enimverò contentio, quæ nobiliſſimæ decus victoriæ, dum ſingulis præripit virtutibus, Ludouico vniuerſarum hoſpiti delicioque aſſereret, niſi generoſâ ſecum pugnans præuaricatione, affuſam ſibi à virtutibus ſuis gloriam, illis refunderet, maximo demùm fœnore ad ſe refundendam.

Ita prorſus eſt,Aud. ſi enim Ludouici iuſtitia ipſum

ipſum ex Imperii meditullio ad extremos vſque fines propulit ſi Celeritas momento detulit; ſi Fama nominis ſoli conſpectui vrbes tradidit; ſi Tolerantia contra grauiores Solis æſtus obfirmauit; ſi Fortitudo bellica metandis muniendiſque caſtris affixit, ita laudem ſuam tribuamus ſingulis, vt totam in Ludouicum ſingularum & Adminiſtrum & Ducem conferamus.

Dicam tamen liberè quod ſentio, ſi fas mihi per vos fuerit in hac lite diſceptatorem agere; Celeritati, Conſtantiæque præcipuam laudis partem aſſignabo. Reges barbaros ſoluat in delicias Regia dignitas, Ludouicum obfirmat ad labores; dum illi latent ſub conopeis auro purpuráque vibrantibus, in ſole & puluere Ludouicus exultat: dum illi exquiſitiſſimis menſarum cupedijs, regificoque apparatu abdomini ſeruiunt; hic imperat voluptati, labori ſeruit: quid multa? dum illi militibus pro ſe morientibus in imagine duntaxat numinis inſculptâ ſuis ſiſtunt ſeſe; legionibus ſuis præſens adeſt Ludouicus, eaſque modò in forficem, modò in cuneum; in turrim aliàs, aliàs diſponit in laterculum, vnuſque in omnes diffuſus, ſingulis affundit animos, martioſque aggerat ſpiritus, vt honeſtâ morte venales lauros læti demetant.

Quòd ipſe metandis caſtris locum opportunum legerit; quòd eumdem propriâ manu deſignarit, hoc peritiam commendat bellicam: quòd verò, quà voce, quà exemplo milites ſuos in opus iam ſponte ruentes impulerit, hoc conſtantia tanquam palmarium ſibi vin-

dicat ſuum, & præcipuum aſſerit ad victoriam fuiſſe momentum. Prô ſpectaculum iucundum cœlo, verendum ſolo! Regem potentiſſimum, in ipſo ætatis flore, lectiſſimâ generoſiſſimâque ſtipatum Nobilitate, fideliſſimis Adminiſtris circumſeptum, tamen omnibus exemplo præire ad labores, manum porrigere ſecuturis, & eâdem quâ ſceptrum tractabat anteà, ligonem mouere. Prorſus vt Regijs excultam manibus Tellurem; momento temporis in lauros palmaſque luxuriaſſe nôn ſtupeam; quas ipſe, qui Ducis munus ac militis fœliciter confuderat, ſui ſine damno diuideret, ſicut liliorum parens, ita & palmarum procreator.

Quare age Ludouice, Solem fidenter compella, vt ſolum laborum tuorum comitem indefatigatum; tuis enim ita præiuiſti, vt ſe vinci à te & geſtirent, & dolerent. Quamquam & Solem ipſum tuâ in laboribus perferendis, vrgendoque opere pertinaciâ fatigaſti, cuius & exortum anteuertiſti, & occaſum ſecutus es, per dies quinque continentes. Te ſcilicet quem diurno Sol feſſus labore, ſimili non fractum reliquerat, Aſtrorum vigiles turmæ vigilantem inſpexere; Lunâque ipſa quæ Solem vicariâ luce ſubleuat, te vices militum inſomnem ſubire mirata eſt. Vos ego hîc appello micantiſſima cœlorum agmina, teque potiſſimùm Sol maxime ſiderum Imperator; annon cum aliquo doloris ſenſu diligentiam veſtram à Ludouici Celeritate Conſtantiâque deuictam erubuiſtis? Aut ſi vos natura omni ſenſu deſtituit, ite ſurdiora; Adeſte quos appello, fortiſſimi quõdam, nunc verò etiam ſanctiſſimi Francorum Principes,

cipes, qui Virtutem aliàs per omnes orbis Terrarum plagas triumpali cum Pompâ deuexiſtis, à qua & viciſſim in cœlos velut ſuccollantibus humeris fuiſtis inuecti; numquid ad tantæ fortitudinis conſpectum delicato perfuſi gaudio, nepoti veſtro applauſiſtis, Maiores illius Auguſtiſſimi, ſed illo minores; & nos Maioribus noſtris ſub tanto Principe, ſin minùs virtute, at ſaltem fœlicitate dixiſtis maiores?

Inſonant etiamnum auribus meis, fauſtæ Epiniciorum acclamationes, quibus Cœlum tunc in anteceſſum perſonuit. Auditis? an me ludit amabilis inſania?

Hîc Muſicâ modulatione Pæan in honorem Regis, à nobili Symphoniacorum Choro decurſus eſt, vt Orator tantiſper interquieſceret.

SED ENIM ne dum Virtuti Regiæ applaudimus, Fortunam nobis inconciliemus, quæ in omni mortalium ratione, vtramque ſola paginam facit; aliquem ego hîc Fortunæ, vobis, vt ſpero, non refragantibus locum dabo. Nimirum quæ priùs capitales cum Virtue exercebat ſimultates, nunc cum eâdem, Ludouico Feciale optimo, amicum fœdus inijt: cæcum antehac Fortunæ Numen ſuis oculauit ductibus; errabundum ſibi deuinxit, vt Virtute duce, comite Fortuna, ad Immortalitatis Templum fœliciter perueniret. Eſt verò hoc Fœlicitatis ingenio, vt quæ vulgarem Virtutem beat, ab illuſtri viciſ-

ſim beetur, alioqui vel ſuo ipſius iudicio infœlix: itáque faſtidioſa vt non niſi precibus fatigata Virtutibus non illuſtriſſimis indulgeat ſeſe, quæ Lodoicæis, hoc eſt perfectiſſimis, occurrit etiam non vocata. Illa igitur quam tot hactenus Virtutis cultores ſuis votis ac conatibus defuiſſe conqueſti ſunt, Ludouico vltrò adfuit; quaſi ſuppuderet eum quem Virtus ſuo ſatellitio communiret, Fortunæ famulitio non cohoneſtari. Quocirca Triumphum læta Regium affectatur, non iam rotæ inſiſtens volubili ad inconſtantiæ infamiam, ſed rotam manu præferens in ſymbolum Æternitatis; mauultque Triumphalem Pompam augere, nauatæ fideliter ſibi conſcia operæ; quàm alis, Amaltheo, Pompaticoque ſpoliata apparatu, rotæ ſuæ radijs in pœnam diſtringi. Vnde & nos Fortunæ nomine tibi gratias Ludouice perſoluimus immortales, vt quam de ſe omnes, vel malè meritam, mortales læti mœſtique prædicant, te vnum de ſe optimè meritum nunc demùm per nos grata fateatur.

O te, Rex maxime, verè fortunatum, à quo ſe Fortuna fortunatam putat! O Virtutem tuam planè Auguſtiſſimam, cui quæ cæteris imperat omnib. famulari gloriatur! Perge mi Princeps, Duce alterâ, alterâ Comite, & in Ciuitatem tibi ſoli expugnabilem nunc fœlix ſuccede: nempe quemadmodum quæ à te propugnantur, tuta eſſe teſtatur Italia: ita & quæ oppugnantur: quantum vis validiſſima, inualida eſſe probabit Lotharingia. Vt certè quæ alijs palmas fūdit vel cupreſſos, Terra nunc parēs, nūc nouerca, tibi

vni,

vni, lauros tãtùm ferat, quia Fortuna iubet, Virtus meretur, ſed vbiuis venuſtâ majeſtate non inter ſe æquales. Tulit tibi Gallia tua, tulit Italia, tulit Germania: ſed Lotharingia nunc ſingulis profert fortaſſis majores. Neque enim latiùs in Rupellano vernarunt aggere, non copioſiùs in Arecomicis pullularunt agris, in ipſis denique Italiæ campis, vel Treuirorum tractibus non progerminarunt vberiùs, quàm nunc in medio Auſtraſiæ ſinu: quæ lauros idcirco fundit tibi, vt ijs obtecta, contra fulminis à te alioquin excutiendi ſit iactus ſecura.

Ecce legionibus tuis ſuas pandit fores, & diuites turrium minas illis calcandas præbet, quibus priùs oſtentabat ad terrorem: agnoſcit rediuiuos in ore tuo tot Francorum Principes, quibus olim paruit, vt libera eſſet: ſeque, dum tibi ſubditur, non vinculis ſed baccatis monilibus exornatam putat. O diem illum Galliæ fortunatiſſimũ, Aud. cum Ludouicus magnâ ſuorum ſtipante turbâ Nancæium ingreſſus eſt! Fauſtis Cœlum acclamationibus Telluri ſuccinebat: Sol ipſe, qui vt Ludouico in puluere bellico deſudanti collaborare velle videretur, vultũ piceis obtexerat nubibus, quas in imbres reſoluens terram ipſam ad nobiles palmarum fœtus irrigabat; mitioribus diem illum texuit radiis, quaſi cum triumphante, in terris Ludouico, ipſe in cœlis triumpharet. O triumphum cuius ego inſpiciendi gratiâ vel mortuis lucis vſurã exoptaſſẽ, vt olim Demarathus ille Corinthius cùm in Darij ſolio ſedẽtẽ Alexãdrũ cõſpiceret: niſi Alexãdro major Ludouicus, ſine ſuorũ cæde

vel ſãguine triumphos,& mereretur, & ageret. Martẽ certè pictorẽ Mortis Mebodes nũcuparit aliàs,à quo viuidiorib. vtique depingeretur coloribꝰ,niſi ipſa quãtumvis pallida,ſanguinis miniũ amaret impenſiùs;ac tum demùm abſolutã in hominibus ſuis putaret imaginem cum ipſos videret in tabum ſolutos. Nunc eam tandem Ludouici iuſſu artem deſiit, vt ſtatuariam faciat; ſpirantiaque ipſi pro trophæis exſculpat ſimulacra, non proprio, vel Victorum ſuorum purpurata ſanguine, ſed pudore erubeſcentia, quòd tam leni ſanctoque Principi ſibi contigerit aliquãdo obſtitiſſe.

Et verò niſi hîc me Oratorem agere meminiſſem potiùs quàm Poëtam, dicerem fortaſſis non tam curru, quàm albis Gloriæ vehentem quadrigis Ludouicum, Æternitatis ipſius Capitolium inijſſe,quo tempore deuictæ Vrbis ciuibus oſtendit ſeſe; vt quos bellicis paulò antè terruerat fulminibus,blandis oculorum fulguribus recrearet. Ita prorſus eſt, (Aud.) æterna erit Vrbs Nancæium ad Ludouici decus: & quamdiu viuet Ludouici fama, (nunquam autem morietur) tandiu perſtabit Nancæium, ac licet temporis diuturnitas, vel Martis infenſi furor nobiles illas propugnaculorum moles, & ablectarum ædium magnificentiam disjiciat: licet ciues ipſos cum Ciuitatis cineribus permiſceat Libitina;vel in ipſis tamen ruderibus ac parietinis monumentum Fama ſtatuet ad Ludouici gloriam immortale. Nempe vt Romæ veteris nunc Roma ſepulcrum eſt; ita & olim fortaſſis ſuorum cinerum vrna fuiſſet Nancæium, quæ vt laudem detraxiſſet

xiſſet Hiſtoriæ, ſic Famæ inuidiam addidiſſet, niſi promulgaſſet vtraque à Ludouico obſeſſam fuiſſe aliàs, & poſt menſem fœliciter expugnatam. Hoc enim nomine tempus ipſum, per cuius malignitatem cæteris rebus æternis eſſe non licet, tanquam amicâ ſyngraphâ Æternitati ſe commendauit, vt illius in ſinu firmitatem nanciſceretur, quam aliunde ſperare non poterat, cùm alioqui contra proprios impetus tutum eſſe non poſſet ſatis. Quamdiu legetur in faſtis Ludouici nomen, tamdiu perſtabit anni milleſimi ſexcenteſimi trigeſimi tertij memoria; tamdiu quintus & vigeſimus Septembris dies inter cæteros eminebit, quia quod vnus vidit, tacebit nullus; quodque ſemel factum eſt à Ludouico, futurum eſt ſempiternum.

O diem natali tuo proximum, qui natalem fortunet, ſicut hic Galliam fortunauit vniuerſam! Te naſcentem in terris vidit Gallia, cùm naſcentes è fœcundo Mortis laureatæ gremio excepit in cœlis Gloria immortales mortalium Archiatros; hæc iſtorum vulneribus cœleſte affudit nepenthes, qui olim dum viuerent, fugientem per plagas ex humanis corporibus animam ſtiterant: Tu laboranti Galliæ natus es diu expetitus expectatuſque Alexicacus, vt illam in ſuas propemodum viuacem neces priſtinæ reſtitueres dignitati. Nimirum natalitium dediſti nobis dum natus es, Ludouice; natalitium munus, vt poſſumus, reddimus, dum viuimus tibi; ſed certè nunquam vt par eſt reddituri, niſi Cœlites ipſi, qui te nobis commodarunt, noſtris velificantes votis;

tibi noſtro nomine natalitium perſoluiſſent, dum natalem Nancæij celebrare conceſſerunt. Ibi certè nata pridem adultaque nominis tui Gloriam in eam excreuit Maieſtatem, quam noſter Amor pene ſtabilem exoptaret, niſi Religio diſiectis Chriſti inſidens cunis, te paſſis ad ſe vocaret brachiis, imperioſoque lacrymantium oculorum nutu, coronâ longè illuſtriſſimâ exornandum. Reſpice veſtem laceram, artus luridos, ſidentes genas, manuſque vinculis implicitas, quæ ſola macies crudeli laxat benignitate: vulnera non deſunt corpori, ſed corpus vulneribus; at ſi corpus deeſt mens generoſa non deficit, ſed pondus ſuum victrici in cœlos protrudit renixu. Inſultat miſeræ immanis prædo, qui dum ſegne diſpenſat ſcelus, ordinemque ſeruat in criminibus, iam millies necem intulit, quia vnam negat. Nimirum pereuntis morti mitis Barbarus parcere voluit, eâque imponere vulnera, quæ ſequeſtro, vt ſic dicam Dolore, Vitam cum Morte inimico fœdere copularent: ideoque diffluentis animæ tarditatem de-queſta, illius reliquias in preces colligit: ſed vox luctantem ſpiritum in mediis conatibus ægra fruſtratur. Ecce oſtendit vulnera, per quæ quaſi totidem ora tecum expoſtulat; oſtendit vincula, ſui Numina doloris; & tacita perorat lacrymis, vt te poſſit, ſuæ propemodum ſpei Numen, exorare. Liberata ſcilicet olim Palæſta (liceat Oratori tuo vatem agere, Ludouice neque enim Cœlites omen abnuent) te Religioſiſſimum promulgabit Triumphatorem, ſicut hic dies fortiſſimum

præ

prædicat fœliciſſimumque, Galliæ ipſi auſpica-
tiſſimus.

Sed ô diem Galliæ hoſtibus inauſpicatum, cùm diffuſis per nobiliſſimæ Vrbis mœnia Ludouici militibus,ipſe in eius gremium infuſus eſt,vt quàm priùs inimicam , ſuis fuerat amplexus copiis,iiſdem muniret,amicæ amplexus non dedignatus, Timete Galliæ hoſtes Gallici Herculis dexteram,vel amate ; quæ clauam ſic intentat infenſis, vt pacem ſtratis non deneget , oleamque ſuis patitur affloreſcere laureis , Martis perinde Palladiſque cultor , cui bellica idcirco placent Numina, quia pacem creant. Pacem enim verò Galliæ procreauit Ludouicus,quæ vrbes populoſque gratiſſimo fouet otio , dum circumpoſitæ regiones vel furenti Marti , vel inſolenti Victoriæ præda fiunt ac ludibrium. Pax autem à Ludouico Galliæ allata,eò Galliam prouexit dignitatis , quò inuidia virus ſuum non poſſit ejaculari,ſed odium cogatur in reuerentiam conuertere,& quibus priùs intorſerat tela manibus, iiſdem ſupplicare. Nunc ſcilicet, nunc illa non eſt Gallia quam ſuis ignotã natis, natorum fecerat immanitas ; cuius pene ſceptrum è manibus , diadema ex capite ſuperioribus annis Hæreſeos excuſſerat furor;cuius purpura vel ſuorum rubebat ſanguine, vel cineribus pallebat funeſtiſſimè : cuius lilia decolori capite , languidoque collo , vt ſaltem ſe mori oſtenderent,non tota ſtatim moriebantur.

O tempora illa miſera,Aud.!ô fata parentum noſtrorum illis temporibus luctuoſa ! Quid
age

agebas Cœlice Gallorum Cuſtos? annon lacrymas tantæ calamitati tua dediſſet Pietas, ſi fuiſſet humana? Angelica nempe Pietas curis ſe prodit non fletibus, quia ijs labores noſtros vident oculis, qui fulgura vibrent fulminaque, in imbres ſoluantur nunquam. Quin & non rarò dum premimur, illi incumbunt, non inſultantes, ſed exultantes; quod enim mortales vocamus laborem, fontem gloriæ Cœlites appellant. E Q V I D E M nouâ hacce veterum malorum cogitatione fœtus animus, necdum triſtiſſimâ expletus flendi voluptate, Galliæ propemodum vt extinctæ, lacrymis parentaret, niſi formidinem quam incuſſit memoria, præſens ſecuritas cum ſuauiſſimo horrore diſcuteret. Habet namque ſecura malorum recordatio triſtitiam delicatam, & hilaritas timoris alicuius amaritie caſtigata defæcatius in animos inſtillatur: ad extremum ſynceros plerumque lætitiæ flores inter voluntarij metus aculeos decerpimus: quare ita præterita reputemus animo, vt præſentia contuentes, Ludouico gratias perſoluamus. L O D O I C Æ A ſiquidem nunc eſt Gallia, poſt extinctam Hæreſeos factionem, ſancta; poſt domitam Duellantium rabiem, generoſa; poſt fœliciter fortiterque adiutos Socios, fidelis; poſt expugnatum Nancæium, inexpugnabilis; poſt triumphum denique Lotharingicum, æternùm triumphans. Viuet Gallia, quandiu viuet Ludouicus: & poſtquam mortalem hanc cum immortali vitâ commutarit, viuet tamen

tamen Gallia immortalis, quia ſuis è cœlo fauebit muneribus Ludouicus, & immortalium permixtus globis, tamdiu ſeruabit immortale Galliæ decus, quamdiu Tellus habebit mortales.

Perge igitur, Princeps inuictiſſime, & captæ Vrbis ſubi mœnia: quæ in eam idcirco molem paſſa eſt educi Pronœa, vt Fortitudinis tuæ, circumuallata; Lenitatis, ſtantia æternum eſſent monumentum: & à tuis obſeſſa militibus, nihil illis ſub te Duce imperuium; ab iiſdem inſeſſa nihil contra illos eſſe expugnabile poſteritati teſtarentur. Teſtabuntur quamdiu ſtabunt. Gallos æſtimandos eſſe non numerandos: cùm tu eo exercitu, quem numeroſiores multò aliorum copiæ mediocrem faciunt, eam Vrbem expugnaris, quam vix ipſæ oppugnare ſuſtinuiſſent, quia plerique ſicut lolligines gladium habent, cor non habent. Perge, Ludouice, te tua Libra è cœlo triumphantem aſpicit, quæ naſcentem vidit: ſed dum honorato curru triumphans veheris, triumphantibus tecum Virtutibus currus eſto.

Prô ſuperi! quàm feſta, quàm auguſta pompa Virtutum! Ecce te lubens lætaque aſſectatur Pietas, quia meminit factum per te vt nec Magiſtratibus ſuis populi, nec populis deeſſent Magiſtratus: nec Religionibus templa, nec templis Religiones: vt erepta ſacerdotibus ſacrificia, ſacrificijs Chriſtus, Chriſto Diuinitas, ipſi denique Diuinitati cultus reſtituerentur. Aſſectatur Fortitudo, non iam fracto curru, lacrymantibus oculis, vultu pallido

lido & Fortunam incuſante : ſed fronte expor-rectâ, ore alacri, animo excelſo, quia nouo ſibi per te ſacramento authoratum intelligit Nobilitatis tuæ florem delibatiſſimum : quos enim priùs duellandi libido inſaniſſima, per dira lucis odia fanaticos agebat ac præcipites; vt, dum vitam projiciunt potiùs quàm pro-fundũt, etiã immortalitatem ſperare auderent; nunc ijdem, tui, veræque Fortitudinis amantiſ-ſimi, ſibi chari eſſe propter te incipiunt, ſan-guinique parcunt ſuo, quem ſine immani ſacrilegio priuatis odijs non poſſent dare, quin tibi ſurriperent, cui totum ex voto ad-dixerunt laudabiliter prodigendum. Sed inter cæteras, quas longum eſſet recenſere, eminet Iuſtitia, quæ cum tibi cognomentum dedit, amiſſum pene inter mortales recepit decus; vnde & eodem, quo ſuperis ſe oſtentat cul-tu, nunc propter te, tuis ſe læta exhibet. O cœli lumen, ô ſoli columen; ô amor, im-mortalium, ô fœlix mortalium timor Iuſti-ita! quâ ego te luce circumfuſam, quam ex te lucem diffuſam cerno? Neque enim tuis obiecta byſſus oculis tam fideliter promi-cantibus obſtat fulguribus, vt noſtros non fe-riant, menteſque ſuauiſſimo quatiant horrore. Læuam ſtatera impedit, quæ vel flatum ver-borum, cogitationumque leuitatem ſuo poſſit examine caſtigare; dextram gladius, innocen-tibus amabilis, formidabilis ſontibus: & quæ ad mortalium dicta, factaque vidêris conni-uere, tam firmo dimenſoue ictu improbos petis, vt lethalia etiam vltra mortem impo-

nas

nas vulnera quæ nulla poſſit arcere panoplia, nulla dignitas retardare. Tu Imperia tanquam teſtas comminuis, vt fruſta Gentes huc illuc diſperſa cuſpide armorum colligant. Tu nomina impiorum cineri inſcribis ſuo, mucronem tam altè firmiterque fluxis imprimens tabellis, vt auras non timeant loquentes ſemper in muto puluere characteres. Lateat ſub Regum purpurâ ſcelus, à te plectetur; lateat ſub centonibus Virtus, à te fouebitur: tuo peplo piorum exterges lacrymas, ad illorum ærumnas oculata; abiectoque enſe & trutinâ in eorumdem amplexus ruis, è Numine in parentis nomen affectumque liquefacta. Verùm niſi Ludouicum nacta eſſes ſacrorum tuorum Antiſtitem & Regem, dignitatis propugnatorem, impugnatorem hoſtium, vindicem Maieſtatis, perierat tua in terris dignitas: nam & plerique quos tanto numero tua admittebant Dicaſteria, tuæ potiùs debuiſſent eſſe victimæ quàm ſacerdotes, cùm tuas idcirco ambirent infulas, vt ſub amico nomine & ornatu in te tuoſque ſecuriùs poſſent graſſari. Perge igitur immortalis Heroïna, & cum triumphante Ludouico nunc tutò triumpha: tu eius obarmaſti Fortitudinem, Conſtantiam corroboraſti, acuiſti Solertiam, Virtutes denique omnes ſuccenturiaſti; vt tuis, ſicut hactenus ſemper, ita & nunc pugnarent ſub auſpiciis, vincerentque. Sed vos etiam, Virgines ſanctiſſimæ inuictiſſimæque cœli municipes, Ludouici Hoſpites, Paraſtatæ, Tutela

telares: quia cum ipſo pugnaſtis, cum eodem triumphate: quando pares ipſius meritis Tellus non poteſt coronas texere, triumphantem veſtro Cœtu coronate.

Nos certè dum plaudit cœlum, terra gratulatur, tibi Ludouice non coronas, ſed corda ab Amore in coronam contexta offerimus: neque capiti imponimus, reueriti majeſtatem; ſed pedibus, numen propè adorantes aduoluimus: faſſi vtique tuum eſſe quòd ſpiramus; quòd pace fruimur, quod vbertate; neque nos altiùs ſubuehi poſſe, quàm cùm tua libamus veſtigia, tibi ſuperſtanti ſubijcimur, ſubſternimur ſupergreſſo.

Quia verò micantiſſimum quo te Gloria circunfudit ſplendorem, irreuerberato obtutu non poſſum contueri: patere Rex Auguſtiſſime, vt eumdem in ſapientiſſimo illo conſiliorum tuorum Adminiſtro; in RICHELÆO, tuo Iuſtitiæque delicio, veluti refractum cernam. Quamquam vitæ tuæ Innocentia, Cardinalis Eminentiſſime, fidæ adinſtar cryſtalli, ita Regios excipit radios, vt dum illos in vniuerſam Galliam benignè tranſmittit, copioſæ ſibi lucis portorium exigat, quâ & mei præſtinguantur oculi, & circumpoſitæ nationes, vel ſuaui, ſi amant; vel triſti, ſi inuident; ſtupore perfundantur. Tu enim ille es in quo totas, ſi fas eſt dicere, Pronœa vires explicuit, vt Ludouici Pietati dignum munus rependeret; quem certè ſibi charum eſſe, illuſtriùs probare non poterat,

poterat, quàm cum te illi effecit longè chariſſimum. Tu ille es de quo cum cogito, meum vnus ita imples animum, vt nec natalium ſplendori, nec purpuræ tuæ luci vacet; ſed tam ingenti minor hoſpite, dum te admiſiſſe totum putat, maximam tui partem ſibi quodammodo elapſam & ſtupeat, & doleat. Tu ille es cuius Gloriam inuidia ſuſpicit; cuius Virtuti Gloria ſe imparem dicit: hæc enim licet magitudine ſuâ æmulos excludat; illi tamen multò inferior eſt quæ exemplis caret: Et quamuis Gloria multos ad ſe currētes viderit, nullum tamen inter Regum Miniſtros in eodem tecum Virtutis curriculo potuit hactenus conſpicari. Tu ille es denique in quem cùm Vitia ſibi nihil licere doleant, te tamen Virtus tua ab Amore noſtro parcum temporis, vitæ prodigum prædicari non renuit. Fœlix enimvero prodigentia, quæ te dum curis delibat, immortalibus auget honoribus, & dum ſingulorum corda multitudine beneficiorum deuincit tibi, omnium vires in rependenda gratia magnitudine prorſus vincit. Suo certè Regi Gallorum Amor Galliam, Orbemque adeò vniuerſum in templum iamnunc dicat ampliſſimum; vbi ſicut Ludouici Maieſtas, quia paſſim obuia, rariſſima erit; ſic & Fama nominis tantò erit potentior, quantò ad latebras minùs potens. Sed præſtat, te, dum nobilem Triumphi Regij pompam & affectaris & facis, pars illius poſt Regem maxima, ſilentio

vene

venerari, quàm inconcinnâ oratione fatigare.

Ego certe dum in Regio verſatus ſum argumento, ſin minùs Oratoris nomen ſum promeritus, Adulatoris vtique probrum declinaui, & antiquo ritu, Honori litaui aperto capite, propitiâ Veritate; ipſique adeo Suadæ parui quæ Alumnorum ſuorum primitias per me voluit Ludouico conſecratas.

IN

IN DIVAM
RADEGVNDEM
FRANCIÆ REGINAM REGVM PATRONAM, PANEGYRICVS.

Authore

P. LEONARDO FRIZON E SOCIETATE IESV.

SANCTVM fuiſſe Gallis Regium nomen iam inde à priſcis illis barbariſque temporibus, & ipſo Naturæ ductu gentiſque genio impenſè cultum accepimus (Auditores omnium Ordinum Clariſſimi). Nimirum illuſtri quadam ſpectabilique notâ diuinitatis & mutuatitio quaſi radio dignitas regalis inſignitur: atque in vitioſis etiam Principibus extat eminetque tamen aliquid quod ſuſpiciatur ac pæne adoretur. Vbi verò excellens admirabiliſque ſpecies virtutis cum ſplendore fortunæ coniuncta eſt; nec iuſtâ modò legitimáque poteſtate ſummi Numinis adumbratam imaginem, ſed eximiæ ſanctitatis abſolutione expreſſum viuúmque ac ſpirans Dei ſimulacrum

rum intuemur : iam non profano tantùm & politico,ſed auguſtiori planéque cœleſti honore faſtigium illud veneramur.

Talem ego venerationi veſtræ materiem propono,Auditores;Reginam,cui ſe Ludouicus ipſe Regum Maximus , Chriſtianiſſimæque Reginæ ſupplices abijciunt ; Heroinam virtute; Pictarienſium,commoratione ciuem,patrocinio Tutelarem. Radegundem, credo,veſtram intelligitis,regio quem calcauit , apice ſuperiorem ; inexhauſtâ mirâque beneficiorum perennitate in Principes ac populos, quos communi clienteiâ complexa eſt , aſſiduè profluentem. Quid ergo aut loco temporique congruentius, aut mihi ad dicendum illuſtrius , vobis ad audiendum iucundius exquiram ? Cùm Regiæ pietatis & magnficentiæ crebra recentiaque monimenta videam ad Sanctiſſimæ Reginæ cultum defixa & conſecrata ; cui ſe potiùs quàm Regam Patronæ addicat,cui ſeruiat glorioſiùs ea quæ à veteri laudatóque ſcriptore appellata eſt *omnium Regina rerum Oratio* ? Cúmque vrbs hæc florentiſſima , non veſtigiis modò impreſſa conſignataque ſit religioſiſſimæ ac beatiſſimæ Principis ; Sed ipſa diuinæ illius opis tutelæque ſolidum ampliſſimúmque ſtet monimentum : Veniant in partem pij gratique animi litteræ noſtræ Scholæque Regiæ; & cui Rex Adeodatus ſoſpitatem refert acceptam, præconium aliquando in ſolemni clariſſima que iſtâ Panegyri perſoluant.

Atenim , quoniam & ab inopiâ temporis & ab ingenij tenuitate laborat oratio ; veſtrum erit, Audit. Quod ex vtrâque parte deficit, humani

manitatis ſubſidio atque ipſius argumenti commendatione ſupplere. Neque ego facilitatem iſtam pluribus euocabo aut eblandiar operoſiùs; ne videar aut veſtræ in munificentiſſimam Patronam pietati diffidere; aut parum memor perſpectæ iam ſuperioribus annis erga me, probatæque benignitatis. Ac ne infinitus ſim, Reginæ ſanctimæ virtutes ſi pertexam, quarum eſt concentus omnium admirabilis, incredibilis excellentia ſingularum; vnâ Excelſitate animi, quo ſe Radegundis in cœlum extulit; & Beneficentiâ, quâ publica & priuata hoiéque ſubleuat incommoda, quidquid eſt hoc Elogij, circumſcribam.

Vetus eſt ille quidem ac longè latéque diſſipatus error, in armis vnicè verſari fortitudinem, in caſtris atque in campo totam animi magnitudinem ſpectari iactantium. Nihil videlicet acuti ſapienteſque rerum exiſtimatores magnum iudicant, niſi quod inſanis viribus & arte gladiatoriâ geſtum ſit; nihil ſplendidum, quod ferro non effulgeat; nihil pleno ore laudandum, niſi quod tubarum tormentorumque ſtrepitu ſit permixtum. Laureas non amant, niſi cruento puluere ſordidatas, trophæa fumantibus ruinis vrbium excitant; hominis denique præſtantiam immanitate belluæ metiuntur. Sic iidem, ni fallor, minaces funeſtoſque cometas placido ſalutarique ſiderum nitori; montes eruptione flammarum & ſubiectarum regionum vaſtitate infames, collibus opacarum arborum proceritate, limpidorum fontium irrigatione omnique florum ſuauitate amœniſſimis anteponunt. Sed agè, concedamus ſanè vniuer-

ſam in re bellicâ fortitudinem & magnanimitatem occupari.Hoc tu mihi tamen fatearis viciſſim, neceſſe eſt, aliud eſſe quoddam multóque periculoſius & difficilius belli genus, in quo ſe Radegundis exercuit; alios hoſtes quàm qui oculis vſurpentur, aut manum pedémque conferant: arma telaque ab iis quæ ferro aut ære procudantur, longè diuerſa. Sexum audaciâ magis,quàm habitu diſſimularit Semiramis; Imperatricem in acie perinde atque in aulâ geſſerit;eò demum expeditione feliciſſimâ peruenerit, quò vix adſpirare poſtea magnus potuit Alexander. At illa multarum gentium victrix fœdiſſimæ ceſſit libidini, externáque decora domeſtico probro maculauit, ac penitus obruit, Radegundis non Semiramidem,non Tomyrim non Zenobiam, non Amazonum Reginas,æmulata,bellum armis cæleſtibus inſtructa ſuſcepit, quo ſanguinem funderet ſuum,non alienum;quo non prædam adſpectabilem referret, non manubias & opima ſpolia; ſed proprio ſe ſplendore ac regno ſpoliaret.

Militiæ nati ſumus, à, quotquot in hanc lucem editi ſuſceptique ſumus:in præliarem nos campum Deus induxit, ſimul atque in orbem terrarum emiſit.Quibus autem aduerſariis, vel potiùs quàm immanibus monſtris obiecti ſumus? Publicum quidem hoſtem piorum, ſic tanquam triformem, Geryonem vnicus ille è Chriſti ſinu Theologus effinxit. Quid? alterum hoſtem illum ſeu draconem,ſiue elephantum, ſeu veriùs inauditæ cuiuſdam formæ atrocitatiſque portentum, non ita eſtis, Auditores,

tores, admirati vt nunc ex ipſa recordatione cohorreſcatis? cuius eam vim Deus prædicat, quæ ne fulmine quidem moueatur; duriſſimum metallum eodem quò putridum lignum ordine habe[illegible]omnia belli tormenta perinde quaſi ſtipulas contemnat. An tertium hoſtem producam*, tantò ſæuiorem, quantò blandiorem? Domi (ô rem cùm dictu acerbam, tum ſenſu exitioſam!) domi hoſtem habemus incluſum, in ſinu infixum, hærentem in viſceribus. Indiuiduus atq; intimus circumfertur, alitur, fouetur. Maximus ille apud Romanos, qui labentem Rempublicam ſuſtentauit ac reſtituit, nouam de Annibale victoriæ artem commentus erat, non pugnare. Verùm in hoc bello animorum non dimicare, vinci eſt. Nemini hîc locus eſt cunctatori. Non viro, non mulieri; non puero, non ſeni vacare aut ceſſare licet: nullis arma ſuſpenduntur induciis: nihil vel ad reſpirandum liberi ſpatij relinquitur. Nunquam extra teli actum, nunquam extra periculi aleam verſaris. Fugamne ab hoſte circumſpicis? effuge te, ſi qua via eſt. Pugnam meditaris? quibus armis ſuperes hoſtem, qui te toto pugnat? O bellum graue & importunum, nec ipſâ victoria terminandum! cùm ex Hipponenſi oraculo vitia, *& quæ reſiſtunt, periculoſo debellentur prælio; & quæ victa ſunt nondum ſecuro triumphentur otio, ſed ſolicito premantur imperio.*

Quantam igitur fortitudinem exprompſit Radegundis, ne fœdè proditus & circumſeſſus á perduellibus membris effrænatóque ſenſuum ſatellitio animus arce ſuâ detruderetur: vt ho-

ſtes multitudine innumerabiles, aſſiduis plurimorum ſeculorum congreſſionibus exercitos, dolis æquè ac viribus paratiſſimos, inexpiabili & furiali in genus humanum odio inflammatos, vbique in noſtram perniciem intentos, vbique inſidiantes, ſemper integros nullóque pertinaciſſimæ oppugnationis labore fatigatos fæmina debellaret: præſertim eorum in ditione atque imperio genita; parentes nacta ſuperſtitione irretitos, Tartareæque tyrannidis iugo oppreſſos.

Calamitas illi gradus extitit ad felicitatem; ſeruitus ad libertatem aditum aperuit. Patre Bertario, Thuringiæ Rege, per fraternum ſcelus interempto, ipſa Chriſto ſalutis publicæ parenti renata eſt: vltoris Clotarij thalamo ſoliòque captiua immigrauit. Hic verò cùm ſe ex immaniſſimi teterrimíque prædonis faucibus eripuiſſet; omni ratione ceteros homines ab eiuſdem iniquiſſimâ duriſſimâque poteſtate vindicare inſtituit. Ditionem eius inuadit non virili, ſed diuino prorſus animo, atque vt erat igne cœleſti ſuccenſa, faces profanis templis ſubiicit, vt Galliam expiet nonnullis adhuc ſuperſtitionis nefariæ reliquiis deformatam.

Nunquam acrior capitaliórque contentio eſt, quàm pro aris & focis. Conclamant vndique concurruntque ad arma inanium Deorum cultores; ad facinoris locum aduolant irâ ardentes; & flammas delubro iniectas ſacrilegorum, quos vocant, cruore extincturi; fremitu omnia tumultúque complent.

Quid tibi tunc animi fuit in illo turbarum

æſtu

æſtu ac repentina tempeſtate, Regina ſanctiſſima; cùm ad conuiuium vocata in pugnam cædemque incidiſti?cùm eas quas fano admoueri tædas iuſſiſti, vt pij ac ſalutaris incendij conſpectu lætiſſimo animum oculóſque paſceres, pietatis tuæ adminiſtris ad funus præluxiſſe;& quâ ruinâ commentitiorum numinum ſigna inuoluebantur, eâdem cohortem illam tuam ac te ipſam obrui poſſe intellexiſti?

Quid vos, Auditores, quid ſuſpicamini de muliere in apertum vitæ diſcrimen adductâ, inter medios impetus furentis populi deprehenſâ? receptui ceciniſſe? ſuos ab incepto reuocaſſe?reſtingui incendium præcepiſſe continuò,aut certè permiſiſſe?nihil niſi de incolumitate ſuâ effugióque cogitaſſe? Maioris erat animi, maioris conſtantiæ Radegundis, quàm vt aliquid ex incenſo diuinæ gloriæ ſtudio remitteret, aut affectum opus frigeſcere pateretur. Stat interrita audacis religioſique facti dux femina: non ſubtrahit ſe concitatæ multitudini;equum, in aduerſum agmen obiectumque periculum impellit:vrget,acuit, confirmat pios incendiarios; aggerant ignes, exſcindant, funeſtent receptaculum dæmonis,arcem ſuperſtitionis.Nec priùs abſceſſuram ſe, quàm altaria, tecta, muri deflagrarint, corruerint; tota funditus euerſa moles conſumptáque cum impio cultu interierit,ſeuerè denunciat. Simul oratione ad tumultuantem plebem conuerſâ, ſic grauitatem lenitati, precibus monita, maieſtati religionem admiſcet; vt ſcelus anhelantium hominum manibus arma defluant, ſacræ ac velut cœlo delapſæ flammæ obſiſtendi

conſilium animis excidat,nouus quidam ardor pectoribus concipiatur Chriſtianæ Religionis amplectendæ.

Sed cùm tantum inuicta Reginæ conſtantia potuerit in antiquiſſimo Dæmonis propugnaculo & munimento inflammando ac diruendo;ciuilíque, an hoſtili motu componendo, & mentibus ipſis aduerſariorum, quæ vna omnium ſpecioſiſſima certiſſimaque victoria eſt, ſibi adiungendis:tum verò nunquam Heroina Chriſtiana vicit magnificentiùs, quàm fugiendo.

Quod ſi à me dictum quiſpiam eſt fortè miratus;recogitet ſecum ipſe,quantis illa Clœliæ Virginis Romanæ laudibus ornata ſit & celebrata;quanto etiam apud Regem Porſennam hoſtem in pretio habita: non dubitabit profectò quin meritò in Cœlum extollatur fugitiua fortitudo, aulam, coniugium, opes, delicias, honores vltrò deſerentis atque abdicantis; cùm eam quæ vincula,quæ carcerem fugiebat, vt Patriæ in ſinum recurreret, equeſtri ſtatuâ dignatam inſignitamque meminerit.

Omnino magnus & ſublimis animus nullâ re clariùs quàm rerum externarum deſpicientiâ cernitur, vt ait ille non dicendi ſolùm, ſed etiam intelligendi Magiſter. Quæ vulgò ampla ſplendidâque habentur, ea parua ducere nihilique facere, virtutis eſt tam exaggeratæ atque arduæ, vt complures inuenias, qui ferrum, qui vulnera mortémque ipſam contemnant; per ſanè raros, qui dignitates, qui gloriam omnémque fortunæ pompam conculcare audeant.

Tenet

Tenet me ſummus amor parcimoniæ,inquiebat è Stoïcorum natione ſui magnificus Oſtẽtator. Placet non in ambitione cubile compoſitum,non exquiſita veſtis & pretioſa : placet cibus parabilis nec patrimonio grauis,nec corpori:placet miniſter incultus , & menſa quæ nullius conuiuæ oculos nec voluptate moretur, nec accendat inuidiâ. Sed prǽſtringi tamẽ animũ querebatur apparatu delicatæ ſupellectilis, cateruâ ſeruorum nitentium, diuitiis per omnes ædium partes diſſipatis Placebat nimirum in ſeceſſu, in exilio, in rerum anguſtia frugalitas: vbi circumfuderat è longo ſitu venientem multo ſplendore luxuria ; titubare aciem;faciliùs aduerſus illam animum quàm oculos attolli fatebatur. Malebat denique in roſa & viola,quàm in ſpinis dumetiſque, hoc eſt, in opulentia & voluptate, quàm in paupertate ac doloribus, mollem iucundamque virtutem exercere. En, quo Stoici poſt elatum altè ſupercilium,poſt ampullas verborum phaleraſque deſcendunt! Non ita Radegundis,quam Chriſtiana diſciplina non dicere magna , ſed facere docuerat.

Regia puella cùm elegantiſſimæ formæ morúmq; pulcherrimorũ laude floreret;ad eámq; Rex Clotarius explorandæ probãdæque famæ cauſâ veniſſet,vidiſſet,arſiſſet,victus captuſque à ſua præda nobiliſſimæ captiuæ coniugium expetiiſſet : quis non omnibus lætitiis inceſſuram arbitraretur puellam iniquitate fortunæ de gradu deiectam ; ea ſorte oblata, cui parem ſtante ac vigente paterno Thuringiæ regno vix reperire potuiſſet ? ex honeſta liberalique

cuſtodia, ſed è cuſtodia in aulam dominatúmque traducebatur ; vnam omnes tam læta rerum conuerſione beatâm prædicabant : quis illum in fortunæ gratiam reditum, & quæſtuoſa detrimenta , optandumque caſum quo altiùs extolleretur, non ſibi gratulaturam facilè crediiſſet? At ipſa ſecum infeliciter agi, quæ Regi placuiſſet, ingemiſcit ; lacrymiſque ingratam oris ſpeciem corrumpens, dat ſe in fugam, nihilo ſegniùs quàm ſi ad pœnam cruciatúmque vocaretur ; virgineas quippe cæleſtis Sponſi nuptias meditata ; vnicè Chriſto addictos amores illibato corpore animoque ſeruatura.

Sed quò te inconſultam agit pietas, Radegundis? alienis finibus circumcluſa, longimanum tu Regem euadere te poſſe ſperaſti ? nec ſentis à Deo, cuius fiducia & ſtudio rebus te aulicis humaniſque abripiebas, ampliſſimum celeberrimumque pandi theatrum, in quo multiformis tuæ virtutis ſpectaculum explices ad communem cæli terræque applauſum, neque vnius ſeculi vel exemplum, vel probrum? Hactenus priuatæ ac puellaris vitæ numeros obiiſti : nunc matronalis regijque ſtatus implendæ tibi partes ſunt : mox tibi Deóque planè reddita, cœlibum ac Parthenonum vitam informabis : quo mortalia ſint omnia loco & ordine ducenda, publicum extabis atque immortale documentum.

Mores ſuos Radegundis aulæ intulit, Auditores: atque vt fontes quidam & fluuij ſinceris & impermiſtis aquis per lacus mariáque voluuntur: ſic in tumidis illis fluctibus & palatinâ

iactatione inſtitutum vitæ curſum & præclarè cœpta promouit : neque tot ſatellitum, quot virtutum comitatu choróque ſtipata, Regiam aduentu ſuo & cenſuræ vim ac pondus obtinente exemplo conſecrauit : De ſuperbiâ, de voluptate, de Fortunâ victrix fortiſſima triumphauit. Purpurâ, gemmis auróque diſtincta induebatur: at cilicium corpori tunicam, blandorum hoſtium debellatrix acerrima, velut loricam apprimebat. Menſæ aſſidebat regalibus deliciis circumfluenti ? At vitam interim plebeïo, & ſi fas eſt dicere, caſtrenſi cibi, eóque tenuiſſimo furtim in medio luxu tolerabat.

En quàm citò Regiâ euolauit, Auditores! quàm ſe prouidè fallacium bonorum illecebris ſubduxit! quàm fortiter ſplendida ſanctæ mentis onera abiecit! Iam immenſam illam virtutem aula non capiebat: eminebat foras erumpebatque diu collecto aſceticæ vitæ ſtudio Radegundis : quæ decora inuitiſſimo animo ſuſceperat, haud ſanè leuiùs quàm Aſſueri, quondam modeſtiſſima & religioſiſſima femina, ſuſtinebat. Tunc demum ſibi captiua veriùs, quàm in Atheïenſi priùs caſtro, videbatur: & quæ ad laxandas cuſtodiarum compedes reſerandáque ergaſtula fuſis ad Deum precibus valeret; aurea quibus conſtringeretur, vincula & quouis carcere moleſtiorem Aulam effugere ſe non poſſe tacita lugebat.

Ergo, ne quid intentatum relinquat, notam feliciorémque ſuperiori fugam Deo duce & auſpice adornat. Quò expeditiùs fugiat, omni-

bus ſe exuit impedimentis: ſacro flameo vultum obnubit, vt dicatam Chriſto atque in eius iura tranſcriptam nemo ignoret; deſponſam ac deuinctam Deo interpellare audeat nemo. Vincit denique piâ pertinaciâ Coniugem amãtiſſimum: reuocatâ, quam conceſſerat venia, inſtantem fugienti, & iam iam iniectâ manu retracturum eludit miraculo: maior ad extremum curâ & labore, quàm ab ambitioſiſſimis quæri captaríque feminis ſoleant, regalem & torum & Aula effugit.

O fugam maximis clariſſimorum Imperatorum victoriis anteferendam! ô factum omnibus hiſtoriarum monimentis, omnium ſtupore ſeculorum, omnium mortalium immortaliúmque linguis celebrandum! O diem vobis, Pictauienſes, candidiſſimum ac triumphalem! cùm Regina Sanctiſſima poſt varias Galliæ Prouincias longo victoriarum cœleſtium beneficiorumque curſu peragratas, in hanc vrbem veſtram ſe tranſtulit, vbi caſtra quædam virtutis poneret piæ ſanctæque militiæ Imperatrix.

Quid attinet hîc nouæ Ducis excubias perpetuas, voluntarios & gregariis longè aſperiores labores, ac ſingularem vitæ rationem perſequi? Cum in Aulâ tenerum innocentiſſimúmque corpus aſſiduo ieiunio macerarit; cœleſti contemplatione dies noctéſque, vel inter acerbiſſimi frigoris vim ad rigorem vſque membrorum productâ, mentem auidiſſimè pauerit; qualem in Aſceterio atque in extremo actu ſe præſtitiſſe neceſſe eſt!

Sic verò agit, quaſi nihil catenus actum ſit; ſic

ſic ſæuire in ſe ipſa cœpit, quaſi tota in delic â, fuerit. Eâ fertur incitatione & alacritate tant vt prima merere ſtipendia videatur: exercitatione tali ac firmitate, vt emerita iam & laureata non dubiè agnoſcatur. Conſtantiam in ſuâ cauſâ probauerat antea Clotario: in alienâ causâ probauit Childerico, cùm is filiam ſuam ſemel Deo attributam è ſacrâ ſtatione repeteret.

Aliúdne fortiſſimi pectoris ac palmaris animi ſpecimen expectatis, Auditores? ne nihil in hac vmbratili arcanâque militiâ ferro actum putetis; ne incruentum hoc quidquid eſt myſtici belli; ferreis cingulis & catenis ita corpus arctarat, vt altè impreſſa ac demerſa dolore tantùm ac vulnere ſe proderent; adhibitóque ferro eruendum ferrum fuerit, miſerandum in modum conciſo laniatóque corpore; vnde tanta vis prorupit ſanguinis, vt pene ſpiritus vnâ eademque viâ ſequeretur.

Iam verò cùm in re militari nihil antiquius ſit & ſanctius, quàm vexilla ſeruare, vt ea Signiferi diligentes & animoſi, non niſi cum vitâ extorqueri ſibi patiantur: arte ſingulari prouidit Radegundis, vt ne morte quidem auelli ſibi detrahique poſſet ſalutis & victoriæ fatale ſignum & inſtrumentum. Quod Conſtantino Magno luce deſcriptum in nube apparuit, in pectore ſuo Regina ignito metallo inſculptum atque inuſtum extare voluit; quo ſigno ac telo armata pariter ornatâque vinceret.

Vicit enimuerò, vt iam expoſui, Auditores, vicit triplices illas, quas indicaui, copias hoſtiũ,

datæque ſint; cuius in excolendo templo atque ſimulacro magnificentia certatim Vrbi Præfectorum eniteſcat;cui pepli opere materiâque ſpectabilis quaſi liberale ſplendidúmque vectigal quotannis offeratur, ſed annuente tamen ac libente Mariâ beneficium illud ampliſſimum cum Radegunde communicabo, quæ vnà cum Hilario magno adſtitit Optimæ Maximæ Liberatrici;cuius in gremio vixerat;cuius in ſinu, in templo à ſe exædificato condi ſe mortuam ſacroſancta obteſtatione mandauerat. Ergo imperatricem cœli terræque potentiſſimam, immortalium cohortibus ſuccinctam, & ipſam quauis acie terribiliorem, vobis, Pictauienſes, ſuamet quidem ſponte indulgentiſſimam, ſed tamen impenſiùs quâ valebat apud eam gratiâ Radegundis conciliauit. Illo,illo tunc præſidio fœdiſſima exitialíſque proditio prodita diſcuſſáque eſt;præreptæ claues, obſtructæ portæ, defenſa mœnia: quíque in procinctu ſtabant ad irrumpendum, in vrbis vaſtationem imminentes Angli, obiecta cœleſtium Patronorum ac Defenſorum ſpecie turbati lymphatíque in ſuapte viſcera manus Gladióſque conuerterunt.

Quo loco ſinite me, Auditores dum antiquiſſimæ virtuti veſtræ, aduersùs Britannos fortitudini, in Franciæ Reges fidei, erga Superos pietati gratulor: ſimul admonere, ne præclara maiorum inſtituta obſoleſcere patiamini, ne patrocinij cœleſtis hereditatem negligi; ſed vt eam quæ iam à quatuor ſeculis ad noſtram ætatem perducta eſt feſtiua triumphaliſque gratiarum agendarum celebritas, non vllâ ex

parte imminutam, ſed ipſo temporis proceſſu confirmatam, ac noua in ſingulos annos acceſſione ſplendoris & religionis amplificatam, ad poſteros diligenter ſanctéque propagetis.

Nec ſemel vrbi ſe Tutelatem approbauit Radegundis, Auditores, neque in hoſtes præſentior adfuit, quàm in ciues: ſi tamen ciues appellandi ſunt, quolibet hoſte infeſtiores; aut homines, cûncto ferarum genere immaniores. Cùm famoſus Thalaſſiarcha totis ſceleratæ in Deum Regémque perduellionis viribus armatus Pictauium circumſideret; admotíſque machinis primam è Radegundæi templi regione mœnibus labem impreſſiſſet: ſenſit, ſenſit impius Agiomachorum Dux proximum templum, idem vrbis certiſſimum eſſe ac validiſſimum propugnaculum. Senſere Catholici milites, qui ſeſe ad Reginæ Tutelaris aras pro ſalute patriæ deuouerant, inde ſibi robur animóſque afflari; non modò vt aggreſſionem illam, atque vt primam, ſic vehementiſſimam recentium agminum impreſſionem, ſed reliquos aſſultus omnes impetúſque feliciſſimè refellerent, eluderent ſolertiſſimè, infringerent.

Age verò, quantis hoſpitam vrbem operibus opibúſque locupletauit Radegundis munificentia, ſiue ſacris ædibus regali ſumptu excitatis, ſiue Martyrum Lipſanis vndique ſumma curâ & religione contractis! Aurum, margaritas, cætera quibus pretium fecit luxus hominum & inſania, depereant arceſſántque vulgò ab indiis Principes feminæ; terrarum mariúm-

que

que iactent ſpolia;mundíque illius mulicbris commendationem à labore ducant periculóque inſtitorum. Nobilius vtique commercium inſtituit pia Regina : Heroum Chriſtianorum exuuias, membra tormentis ipſis doloribusque conſecrata,in votis,in deliciis habet : Hos amat veſtigátque theſauros,Hieroſolymis, Conſtantinopoli colligendos deuehendóſque curat cineres cœlum aliquando illuſtraturos , mortalitatis reliquias,ſemina æternitatis.

At quo Te piaculo prætercam , Orbis terrarum expiatrix , non iam infelix arbos , necis cruciatuſque ferale inſtrumentum ſed vitæ felicitatiſque parens , Crux Sanctiſſima ? Quæ nouæ huius Helenæ immenſo ſtudio & amore expetita ; Sigiberti Regis Priuigni ſui autoritate & legatione ad Imperatorem Iuſtinum II. cum amplo Lipſanorum comitatu impetrata; Infulati Poëtæ , ac Reginæ beneuolentiâ & familiaritate caſtiſſima verè Fortunati carminibus , mox in ſolémnem vſum Eccleſiæ diffuſis, rite celebrata, æternum Pictauio decus & ornamentum addidiſti. Fabuloſo Palladio gloriata Troia fuerit ; Ancile cœlo delapſum ſplendidè mendax Roma iactauerit. Tu ſalutis publicæ pignus mirificũ :Tu victoriæ diuinæ trophæum clariſſimum ; Tu Radegundis in hanc vrbem beneficentiæ monimentum omni veneratione cultúque digniſſimum.

Iam beneficia in egenos (priuatáne dicam, quæ viritim ſingulis conferrentur , an publica quæ calamitoſorum innumeros greges comprehenderent ?) quis non conſequi laudando, ſed vel percenſere poſſit numerando ? Nunquam

quam illa facultatibus frui regiis ſuſtinuit: Sic verò vſa eſt, nihil vt ex omni fortunæ copiâ, niſi benefaciendi materiem vſurparet. Diuiſas opes in templa atque in Egenos, altera Dei templa, profundebat. Spoliabat ſe aureis gemmatiſque veſtibus, quibus aras excoleret: Neque officioſè tãtùm & humaniter homines miſeros (quanquam hac Radegundis curâ felices) ſed reuerenter quoque, prorſus vt res ſacras; nec modò vt templa & ſimulacra, verum etiam vt membra Chriſti habebat tractabátque: & maieſtatem cum ad humillima quæque obſequia deiiceret, ſordidiſſimis miniſteriis auguſta pietate ſplendotem allinebat. Vel fœdiſſimis morbis afflictos prolixè ſtudioſéque fouens, abluebat regiis manibus purulenta vlcera; faciebatque interdum (id quod citra horrorem nec ſpectari tunc potuit ab Reginæ comitibus & ancillis, nec fortaſſe à vobis audiri poterit) vt elephantiacarum mulierum ora ſanie tabóque diffluentia exoſcularetur ſuauiſſimè. Tantam inter afferendum, inopibus ægriſque ſubſidium ac ſolatium de ſe ipſa victoriam referebat.

Ecquæ porrò facundia benignitatem exequatur ſingularem, quæ captiuis libertatem, tranquillitatem naufragantibus ægris ſanitatem, mortuis vitam reſtituit? Quoties verò animos corporáque à Tartareo nexu acerbiſſimaque vexatione vindicauit? Et autoritate quidem tanta, vt hoſpitem importunum tyrannúmque ſuperbiſſimum ac crudeliſſimum, inſultans iugulóque pedem imprimen, non faciliùs quàm imperioſiùs abigeret; nocturnas infernorum monſtrorum

ſtrorum cateruas, vno luſtralis ſigni ductu trepidas & præcipites Aſceterij muro deturbaret.

Ea vis eſt magnetis, vt cùm ipſe arcanâ quadam illecebrâ ferrum attrahat; tum quidlibet ex ipſius affrictu poteſtatem eandem in obſequens metallum exerceat. Reginæ ſanctiſſimæ virtus mala refutabat arcebátque longiſſimè; ac rebus etiam viliſſimis eam dotem affundebat, vt quidqnid ab Radegunde fuiſſet contactum, aduerſus omnes caſus humanos inſtar Alexipharmaci obtineret. Viuit adhuc vigétque vis illa in Tumudo planè Thaumaturgo; ad quem non hæc modò ciuitas, ſed ipſa ſuis propè ſedibus conuulſa prouincia. ncta, citius dixero, Francia confluit, miſericordiæ aram Athenienſi indulgentiorem prenſatura.

Geſtit oratio iamdiu, Audit. ad ea venire quę nouitate alliciunt oculos, animum rapiunt maieſtate. Obuerſantur Corda Principum auro expreſſa, pij amoris eſt ſymbola & pignora; Sereniſſimi Delphini iamnunc in cœleſtem clientelam dati pulcherrima effigies; Immortalis Victimæ ſtata quotannis gemina maximo cum apparatu litatio; Diuæ Reginæ marmoreum ingentis pretii ſimulacrum; hæc regalem Chriſtianiſſimamque pietatem explicant Ludouici, Annæ, Mariæ Tereſiæ.

Vos, vos altaria vetuſtiſſima ſanctiſſimaque, appello, quæ toties Auguſta capita vobis ſubmiſſa & venerabunda adſpexiſtis! Vos, illuſtria æternáque obteſtor monimenta, quæ initiatis Radegundæo ſepulchro ſodalibus adſcripta cõſignatáque tanta nomina poſteritati oſtendetis! Vos maximè appello, Auditores, qui, ſiue turbulen

bulentis temporibus vrbi fidiſſimæ immorante, ſiue vltro citróque commeante Principe ſpectaculum pulcherrimum regalis in Beatiſſimam Reginam obſeruantiæ, frequentiâ veſtrâ ſtudiiſque celebraſtis. Et adeſt, non iuris quàm Iuſtitiæ conſultior; nec magis in foro quàm in templo, inter liliata ſubſtellia quàm inter aras & delubra, Regiarum Actor cauſarum, idémque Radegundis & Cultor & Scriptor clariſſimus.

Norat, Auditores, Ludouicus non hanc modò vrbem variis temporibus, obſeſſam, proditam, occupatam, & à priſtinis hoſtibus & à Caluianis perduellibus ſanctæ Reginæ ope aſſertam; ſed Galliam vniuerſam à tranſmarinæ gentis imperio, aut funeſto veriùs latrocinio purgatam; cum pridie idus Auguſti, quo die feſti Radegundæi peruigilium agitur, Cæſaris Burgo totâque adeò Neuſtria Angli exceſſerint. Quare in eum ipſum diem Carolus ille victor Franciæque Reſtaurator ſolemnem indixit Pictauienſi ciuitati pompam & ſuplicationem, vt eodem tempore, & ſanctæ Principis in cœlum, & Anglorum in ſuam inſulam diſceſſus è Francia recolatur.

Audierat Adeodati Mater laudatiſſima Regina palmarium hoc libertatæ receptæque Galliæ beneficium à Caroli VII. vxore, lectiſſima femina, piè agnitum; & quoad vixit, inextinctæ ad Radegundæam cryptam facis teſtimonio declaratum. Sed cui poſt funus ſuum alendæ luci ſumptus conſtituere tunc Regina non potuerat,

tuerat, eam fouere Anna inſtituit Auſtriaca; Mariæ Andinæ in voluntatem ac liberalitatem nunquam intermoritura religione ſucceſſit.

Quid, quòd benignam ſibi propriè munificamque cum optima parente Rex inuictiſſimus agnoſcit!ſanitatem Reipublicæ ſaluti pene fatalem, vterque ſibi è periculoſiſſimis morbis reſtitutam illi ſe debere profitetur: Pacem ciuilem atque externam; nuptias & Delphinum Galliæ ſpem ac delicias, ambo cum Maria Tereſia Regis maximi Coniuge digniſſima, vt amore, ſic pietate concordes Principes, Radegundi gratulantur. Nec deſunt ſibi sereniſſimi Aurelianenſium Duces, quin eandem ſibi Patronam adoptent, vt vno tota Regia præſidio & quodam Maieſtatis numine contineatur.

Sic lumen iſtud ac præſidium ab Aula ſuſcepiſti, Pictonum auguſta metropolis; auctius cumulatiúſque aulæ reddidiſti. O te felicem in primis, quæ à ſapientiſſimo Rege conquiſitam olim mulierem inueniſti fortiſſimam, animi celſitate propemodùm ſingularem;quæ Reginam Regum-Patronam,in Principes populóſque beneficentiſſimam tuis ſedibus excepiſti!

Suas hîc Pyramidas Ægyptus deprimat, ſuum Caria Mauſolæum abiiciat; Regum ambitioſa conditoria, orbíſque terræ miracula. Quid enim tandem inſanæ ſubſtructionum illæ moles, improbi laboris ſumptuſque infiniti monumenta? quantumuis extimâ ſpecie niteant; quamlibet fucatis,

gypſatis, conditiſque funerum ſordibus, funeribus tamen impiorum Principum ſquallida, & horrenda magis quàm admiranda monumenta. Hîc ſenſum afflat ſuauiſſimum pietatis & venerationis ſepulchrum planè glorioſum Regij corporis, non balſamo ceteróque ſuperbiæ funebris apparatu, ſed immortali virtutis honore incorrupti; miraculorum fons perennis & inexhauſtus. Nec tam vbertim lampas, ab Radegunde cruci diuinæ accenſa, oleo ſuccreſcente redundauit; quàm ſalutiferum hoc monimentum commiſerationis perpetuâ, vt ita dicam, exundatione circumquaque diffluit.

Animaduertite, quæſo, Auditores, quàm præclarè ſibi Radegundis conſuluerit, cum à ſole in vmbram tranſiit, ab aulâ in Aſceterium profûgit, rerum terrenarum excuſſis proiectiſque ſarcinis & præſtigiis voluptatum ad Crucis amplexum euolauit.

Vitam egiſſes tu quidem omnibus copiis abundantem & multis inuidendam, Regina, ſi fortunæ tuæ te permiſiſſes: ſed breui formam, honorem, luxum extinxiſſet grauis & inuiſa mors Tum eodem tumulo, quo deforme ac tetrum cadauer fuiſſet contectum; memoria quoque tui, aut certè obſeruatio, itidem vt reliquarum illius ſortis Matronarum, obruta iacuiſſet. Nunc illuſtrior ex receſſu, ex demiſſione ſublimior, omnium in te admira-

tionem

tionem laudéſque conuertiſti, ſanctiſſima Heroïna.

Pro fragili & caducâ venuſtate quam neglexeras, omnique corporis afflictatione attriueras, oris dignitatem humanâ præſtantiorem & quæ glorioſam ſpiraret Anaſtaſin, in morte atque in tumulo explicaſti. Solio exſcenderas; altaria meruiſti. Galliæ imperio cum religioſâ ſeruitute commutato, Antiſtitæ quoque abdicato munere, in ordinem te gregémque redegeras. Numeras in clientibus Reges, & quæ puluerem adytorum abſtergere purpura tua gaudebas, *Ludouici* Reginarumque ſupplicem purpuram adſterni ſæpe tuis altaribus, mancipari ſceptra, appendi corda vidiſti.

Pio te diuortio à mortali Principe ſeiunxeras; Sponſum adepta es Regum Imperatorem, Deum, cuius te amantiſſimè inuiſentis veſtigium hodiéque veneramur: Coronam depoſueras baccis vnionibuſque micantem; ad *Chriſti diadema* perueniſti, rerum omnium caput *gemma* ſideribus clarior exornaſti.

Perge, Tutelaris ac Patrona Beatiſſima, ex arce iſta & faſtigio lucem Beneficentiæ tuæ in omnem partem effundere: Principes populoſq; tibi, cultuíque tuo arctiùs in dies nouis donis adſtringe: Galliam vniuerſam, ſed hanc maximè vrbem, virtutis ac munificentiæ tuæ ſedem, quam ſemel ſeruaſti, æterno patrocinio incolumem florentemque complectere.

Tum verò his laudum tuarum ſtudioſiſſimis

Audi

Auditoribus, quas habeo nec agere pro merito ac voluntate poſſum, gratias refer, fructus expromptæ in te pietatis, in Oratorem tuum benignitatis. Et hanc tenuitatem officij mei, cum accenſeri Regales aras conueſtientibus ornamentis verba non debeant, ſic tanquam epigraphen marmoreis aureiſque donis ſubiunctam admitte, Religionis in te meæ votique non irriti argumentum.

PANE

PANEGYRICVS IN DIVVM FRANCISCVM SALESIVM, EPISCOPVM, AC PRINCIPEM GENEVENSEM.

Authore

P. LEONARDO FRIZON E SOCIETATE IESV.

FVIT illa Romanorum veterum ab heroicis repetita temporibus ſuperſtitio (Auditores ornatiſſimi) vt parentem vrbis Romulum, imperij conditorem Iulium, alióſque ſubinde Cæſares ad venerationem conſecratos in Deorum numero collocarent. Eò nimirum progreſſa, principum ambitu, populorum credulitate

dulitate & aſſentatione impietas; vt homines perditiſſimos, quos grauiſſima atque inexpiabilia ſcelera ad ignes depreſſerant ſempiternos, cœlo dicaret, poſitis fanis inauguratiſque Flaminibus coleret.

Atenim profligata iamdiu ſunt immortalis Dei beneficio fœdiſſima flagitia; nec tam caligine vetuſtatis, quàm luce Chriſtianæ legis oppreſſa. Ceſſit error veritati, ſuperſtitio Religioni, profana Apotheoſis piæ iuſtæque conſecrationi. Felici rerum conuerſione, iam non vitia templis & altaribus ad exemplum perinde atque cultum propoſita adorantur: Sed commentitiorum Numinum & criminũ abrogato cultu, quam vnã è Sanctiſſimi Magiſtri diſciplinâ colendam intelligimus, virtutem in ſpectabili atque illuſtri monimento Chriſtiani veneramur.

Tacitâ ipſi cogitatione orationi meæ præſulem ac Principem Franciſum Saleſium nominari, cui iamdiu æternum gloriæ præmium patrimoniúmque Deus beatiſſimum exhibuit; debitos in terris ac legitimos honores rerum interpres diuinarum, Eccleſiæ Antiſtes Maximus caſto nuper ſolemnique ritu decreuit, flagrãtibus Principũ ac populorũ votis expetitos, omni gratulationis magnificæq; pietatis genere celebratos. Perſonat adhuc Europã publicæ vox hilaritatis, nec plauſu modò cõcẽtáque hominum, ſed etiã curulium paſſim bombardarũ tonitru exaggerata: verſatur ob oculos feſtorum ignium ſplendor: occurrit animo pontificiarum Regaliúmque pomparum maieſtas: collucent vndique ſpecioſiſſima multiplcis triumphi,

phi, de infernis hoſtibus, de Geneuenſis Hæreſis portento, de vitiis omnibus relati ſimulacra.

Venio in partem longè latéque diffuſi, nec maioris quàm religioſioris gaudii; non quò creſcere immenſam gloriam tenui vocis meæ præconio poſſe confidam; ſed vt inſigni ſcholarum noſtrarum alumno quondam atque exemplo, nunc, vti ſperare fas eſt, Patrono ac Tutelari, qualecunque hoc vectigal perſoluam & annuas Rhetorices primitias Cœleſti conſecrem diuinóque Oratori. Et verò ſi ſcholas imperatoriæ templa gloriæ dixit Eumenius; quantò auguſtiùs Regium hoc gymnaſium Saleſii laudibus honoribusque inſtāte Ludouico Rege Chriſtianiſſimo conſtitutis dedicetur? Quàm homine dignum Religioſo virtutis iam Chriſtianis additæ faſtis encomium! quàm porrò vobis aptum omnibus, Aud. illius viri exemplum, qui Theologiam iuriſque prudentiam acerrimo curſu ſtudiorum emenſus, lauream ex vtrâque tulerit? qui Senator primùm ſupremæ Camberienſi Curiæ adſcriptus, ſacra deinceps munera ſic geſſerit, vt admiratione inuidiam extingueret, fructu pietatis vberrimo admirationem ipſam fidemque ſuperaret: qui denique pontificio ex Oraculo planè *omnis homo* extiterit, vt omnes Chriſto adiungeret.

Sed quoniam in ampliſſimâ rerum ſiluâ ſtatuendus eſt orationi modus; Franc. ego vobis Saleſium, Auditores, propono, qualem Phœnix ille homericus virum principem ac totius Græciæ fortiſſimum ſibi ex Patris mandato fingen

fingendum atque elaborandum dicebat, Oratorem verborum actorémque rerum. Vos aures fauentes animoſque tantiſper adhibete; & Oratorem veriùs quàm Periclem, Olympium, Actorem planè Thaumaturgum vobis dùm exhibeo, non admiratione ſolum, ſed etiam veneratione cœleſtem virum proſequimini.

Maius eſſe quiddam, Oratoris munus, quàm homines opinentur vulgò, & pluribus ex artibus ſtudiiſque collectum; non Tullij magis, quàm ipſius veritatis ac ſapientiæ pronunciatum eſt. Sed apertum de Oratoris dignitate campum ſanè ingentem vbi tot eloquentiſſimi volitarunt Laudatores, ſilentio prætereuehor: Neque committam, vt illâ quaſi iactatio. ne plus inuidiæ fortaſſe quàm gloriæ videar facultati, cuius à me ſuſcepta profeſſio eſt, domeſtico præconio collegiſſe. Vnius ego Saleſij vim facundiæ mirificam victoriáſque celebro, victis ſalutares peræquè ac victori glorioſas; victorias linguâ non manu partas, niſi cùm hæc ſtricto ad ſalutem animorum calamo armaretur; & orationem quodam, vt ita dicam, literarum amento intorqueret.

Atque vt nobili Catonis ſententiâ mea prætexatur oratio, Virum bonum dicendi peritum oratorem deſcribentis; quis illo viro vir melior, qui ſuâ ſponte natiuíſque virtutum ſeminibus ſic ad omnem laudem effloruerit, vt nullâ funeſti patrimonii noxæque ab Adamo in poſteros manantis parte contactus afflatuſque videretur? (quæ vox pietate doctrináque eminentiſſimi Baronii fuit). Cuius Amorem diuinum

diuinum prima vox ſonuerit; profanum inuicta molliſſimis illecebris conſtantia obtriuerit; cuius adoleſcentia, cunctáque adeò vita, innocentiæ ſpecimen, modeſtiæ ſpeculum, cenſura vitiorum, ſanctitatis miraculum extiterit? Iam Saleſio quis dicendi peritior? quis omnibus eloquentiæ præſidiis, animi & corporis dotibus ornatior? Pars eſt felicitatis vel præcipua, Magiſtri præſtantia; idemque ſuam intelligentibus felicitatem ſtimulus ad diſcendum acerrimus. At noſter hic, ſupra ætatis captum ſapiens, cùm alij à parentibus oſtenderentur præceptores ipſe delegit eos, quorum & mores & Doctrinam conſequi duceret pulcherrimum. Quanquam is Franc. fuit Saleſius, vt eo potiùs inſtitutores cenſeri debeant & gloriari. O Te beatum, erudit iſſime Maldonate, Teque Sirmonde præſtantiſſime; & auditore hoc ſingulari, multò quàm frequentiſſimâ Pariſinæ iuuentutis coronâ celebriorem! ô muſæ ſcholæque Claromontanæ, quæ tantum Eccleſiæ lumen, non ſolùm vt plurimæ Galliarum Italiæque ſedes aſpexiſtis; Verùm etiam puriſſimis accenſum radiis, Orbique Chriſtiano ſuſpiciendum ad altiſſimum faſtigium extuliſtis!

Et ille quidem amœniores omnes diſciplinas mirâ ingenij concitatione, ſeuerioréſque peruagatus; cùm excellens omnibus, quâ potiſſimùm parte emineret, ambiguum eſſet: minus tamen ex Rhetorum officinis quàm ex cœleſti afflatu illapſúque traxerat. Quid enim putatis, Audit. voluiſſe nitidiſſimam illam, quæ Saleſii caput inſedit, Columbam, niſi vt vim, auram,

efficientiam diuini ſpiritûs,cuius tunc maximè ſacris operabatur, haud ſemel adoptato ſymbolo declararet? An verò lingua ignea defuit, qualis proçuſa fuit Apoſtolis, *vt homo igneus ignea verba loqueretur?* Quoties ardore ſpectabili inflammatus Saleſius eſt; nec linguam tantùm ardentem, ſed multò vehementiùs cor incenſum accepit! Teſtis ignea Columna, quæ animum ab Euangelicis laboribus aliquando colligenti adfuit; vt ipſum ab architecta viui æternique templi, ſapientia ſic tanquam ſublimem,ſplendidam,nullóque concuſſu labefactandam auguſtiſſimæ molis columnam,erectum excitatumque deſignaret. Teſtis flammeus globus, qui cœlo demiſſus incumbentem precibus Saleſium, ſuauiſſimis ignibus, non modò innoxiis circumfudit; vt pium orbis terrarum incendiarium, amoris diuini libros commentantem opportuno inſtrueret ſubſidio, & auſpicatiſſimo prodigio meritiſſimum illuſtraret. Teſtis illa radiorum ex aduerſo Chriſti de Cruce pendentis ſimulacro in concionantis vultum emiſſio;cùm. ſuſpenſis admiratione auditoribus, totus è corpore Saleſii animus emineret, præſens atque intimus toto dicentis ore Deus emicaret. Theorhetorem intuebatur agentem diuina, in humana patientem; è purpurato ſuggeſtu non delectationi ſeruientem aurium,ſed acerbiſſimis doloribus ſaluti conſulentem animorum; breui efficacique omnia docentem ſermone, & ſaxa ipſa non clamore magis quàm ſilentio commouentem.

Hæç cùm ſpectaret animo; cùm oculis quos

acuebat fides, vſurparet Saleſius: nimirùm exardeſcebat in Deum amore incredibili:ſcelus autem illius capitalem atque vnicum hoſtem ſic deteſtabatur,vt ſceleri mancipatos homines æſtuanti infinitáque caritate quæreret, ambiret,prenſaret, diligentiſſimus ac ſolertiſſimus captator animarum; quaſi deſertores ac transfugas in caſtra obſequiúmque imperatoris Optimæ maximæ reuocandos. Quibus ille blanditiis publicè priuatimque in aures animóſque influebat, vt ipſa orationem finxiſſe gratia videretur? quid illo amœnius ingenio? quid vbertate melleâ eloquentiæ beatius? Apis Gallica, itidem vt Bernardus, iure apelletur,quæ acerbitatis ſenſu nullo,aculeum tamen infigat mentibus acrem pariter & ſalutarem. Puriſſimo fonti ſimillimum dicas qualem ſacræ loquuntur litteræ;qui mox in amnē excreuerit adeò lucidum, vt conuerſus in ſolem videretur,ac radiis potiùs quàm aquis redundare.

Nec verò præclariſſimus Antiſtes celeritatem magis primarii ſideris, quàm benignitatem exhibuit.Taurinos,Allobrogas, Salyos, Seguſios, Lugdunenſes,Burgundos, Delphinates,Pariſios indefeſſis excoluit laboribus; ita populoſas & Regias peruagatus vrbes, vt oppida tenuiſſima non aſpernaretur; Sic Principes aulicamque coronā affatus, vt infimam plebem ruſticamque ſolitudinem oratione creberrimâ dignaretur. Et ſi(poſt illa expeditionis Apoſtolicæ primordia, quibus incredibilem exprompſit patientiam imbuendâ Cablenſium Orthodoxorū paucitate) nullus erat Saleſio dicente infrequens locus, cùm verus hic Gallicus Hercules

aureis quibuſdam facundiæ catenis homines traheret; aut potius, concionatoris inſtar cælo delapſi, nec fabuloſi, eloquentiæ ſcientiarúmque omnium numinis, multitudinem blandiſſimâ caritatis vi captam deuinctámque in deſerta loca raperet ad dena auditorum millia: neque multitudinem ſolum plebeiam, ſed ipſos Dynaſtas, Palatinumque Comitatum, excuſſis aliis deliciis negotiiſque, alliceret in pagos, in campum, in puluerem, in ſolem educeret. Non capiebat tantos animos Annecium; non Sabaudia tota: non Italia, non Gallia vniuerſa. Excurrebat Apoſtolici viri Spiritus in Chriſtianas omnes gentes; & quò viua peruenire vox non poterat, eò literarum monimentis adſpirabat. Peruaſit enimuerò chriſtianum Orbem, actioſiſſimíque otij fructum in omnem partem diſſeminauit.

Ecquis veſtrum, Auditores *Theotimum* ignorat, librum amoris ipſius manu ingenióque ſcriptum; itaque expreſſo doctrinarum ſucco ſaturum, vt quatuordecim omnino lineas ducentarum ſupra millenas ingentium paginarum lectione ſibi ſtetiſſe aſſeuerarit is, quo nemo facti locupletior teſtis eſſe potuit? nam quid ego de *Philotea* dicam (vt alios ſileam libros & multitudine innumerabiles, & dignitate ſingulares) aut quo ſatis elogio diuinam illam ad piè ſanctéque viuendum Iſagogen proſequar? quem libellum Henricus magnus laudibus in cœlum extulit; quem Maria Medicea Regina Chriſtianiſſima, Xeniorum nomine, Magnæ Britanniæ Regi obtulit; quem hic, licet ab ſacris noſtris alienus Princeps, longè omnibus

bus ſuorum omnium ſcriptis antepoſuit;auto-riſque cernendi cupiditate flagrans,viri ſapientiam ſanctimoniamque non ſine ſtupore prædicabat.

Et iure quidem ; ac meritò. Virtutem enim multi, non modò inimici, ſed etiam aſſeclæ inconſulti,duram,intractabilem, ferream;denique monſtri neſcio quid ſimile finxerant , quod amores ita non excitaret ſui , vt horrorem potius incuteret. Itaque vulgò in Eremum,in aſceteria virtus relegabatur:nullum illi cum Aula commercium, nullam cum populari vita ſocietatem iungi poſſe temerè iactabatur. Non tulit falſam hanc importunamque ſpeciem Saleſius.Virtutem non fucatam.ſed ſinceram;non vmbratilem,ſed ſolidam ; non inhumanam, ſed ciuilem ac parabilem, qualis eſt reapſe, produxit : ſuoſque illi, formidoloſâ auſteritate detractâ, lepores, ſuas illecebras , quibus omnes conciliare debeat, feliciſſimè reſtituit. Quibus ille prudentium omnium ſtudiis acceptus liber eſt ! quo plauſu celebratus ! cunctarum fermè chriſtianarum gentium ſermone expreſſus , id auctori ſuo præſtitit , vt Deum Opt. Max. tot ſimul linguis vbique collaudet;vbique ipſe , communis inſtitutor populorum inſtauratórque pietatis in ore,in manibus,in oculis verſetur.

Sic linguâ calamóque docuit ; Sic piè frugiferéque delectauit ; Sic,quod caput eſt, perſuaſit Orator verè palmaris. Atque vt intelligatis,Audit.quàm commodè genius illæ Galliæ fulmen Eccleſiæ,Cardinalis Perronnius,qui heterodoxos conſideret ſponderétque à ſe vin-

cendos diſputatione ac profligandos; eoſdem ad Geneuenſem Antiſtitem mitteret perſuadendos: attendite, quantum hic voce ſcriptiſque fuerit conſecutus; quantam hæreſi ſtragem ac vaſtitatem importarit. Septuágena (rem pro iſtiuſmodi hominum contumaciâ penè incredibilem,) ſeptuagena hominum millia ad Catholicam traduxit fidem: plus vndena ipſe millia recepit, in iiſque viros illuſtres plurimos, nec paucos erroris anteſignanos; qui eo præſide ac ſuſceptore praua dogmata euitare voluerunt, cuius operâ veritatis lucem abſterſis dæmonum tenebris aſpexerant.

Numerent profani duces conciſos exercitus, populatas vrbes, deſolatas regiones, ac generis humani exitio triumphantes inſoleſcant. Saleſius non clade, ſed ſalute mortalium exultat; gentes non imperio ſuo, ſed ſuauiſſimo Chriſti iugo ſubditas gratulatur. Ac ſi capitolini coronas ciuicas ſex, Sicinij dentati quatuordecim ambitioſè oſtentat Antiquitas; quam, Deus immortalis, vim coronarum Saleſio debent non homines ſinguli, ſed populi ab teterrima immaniſſimaque ſeruitute in dulciſſimam tutiſſimamque libertatem aſſerti; ab corporis animique interitu ſempiterno in beatæ iura æternitatis vindicati? *Totam*, vt aiebat Tullianus Antonius, *vim habet illa, quæ rectè dicta eſt Flexanima omnium Regina rerum Oratio, vt non modò inclinantem erigere, aut ſtantem inclinare, ſed etiam aduerſantem & repugnantem, vt Imperator bonus ac fortis, capere poſſit.* Diſertiſſimi viri ſententiam, Saleſij victrix eloquentia comprobauit.

At

Atenim facundiam nolite, Auditores, eam tantùm cogitare, quæ dictione aut ſcriptione continetur: alia quædam eſt, multóque efficacior corporis eloquentia, non tam in pronunciatione ſita, atque illa quæ vulgò ab Rhetoribus appellatur, actione; quàm in conformatione vitæ operúmque præſtantia. Orator eſt Saleſius, in quo nullum cordis, atque linguæ diſſidium, ſed mira cum vtroque manus conſenſio. Præcepta factis confirmat: ſapientiæ fideique oraculis virtutum omnium adiicit miracula Orator Actorque planè cæleſtis.

Videor mihi, Auditores in amplum quoddam induci magnificumque atrium, ſignis vndique pulcherrimis conueſtitum atque exornatum; quæ artis ingenio & pretio materiæ admiranda omnia; ſed & varietate marmorum & Sculptoris opera diſſimili magis quàm diſpari, & propria formæ cuiuſque maieſtate aſpectabilia, ſic oculos paſcant atque oblectent, vt ſplendida ſimul copia ſpeciéque confundant. Talem ſe mihi offert Saleſij vita, rerum præclarè geſtarum numeróne, an dignitate inſignior? Errat diſtractus animus, & certantium inter ſe meritorum admirabilitate ſuſpenditur. Sanctiſſimam vitæ priuatæ diſciplinam exequar; quæ licet in vmbra & receſſu, effert ſe tamen atque elucet ſuauiſſimè. At publici muneris virtus rapit ad ſeſe oculos, non maior, ſed illuſtrior. de lenitate dicam, quæ fellis humorem, vt in diſſecto corpore apparuit, penitus conſumpſerat; neque veniam modò, ſed & gratiam & beneficium iniuriis rependere geſtiebat? at validiſſima in tuendis Eccleſiæ iuribus, refellendis infrin-

gendiſque ſceleratis conſtantia orationem ſibi vendicat.

Mirer agentem, quatenus res diuina poſceret, in Palatiis Principum, Aulicum aſſentationis expertem, immotum calumnia, pietatis magiſtrum, præconem veritatis? Auocat me ſtrenui paſtoris laborioſiſſima diligentia, pedibus caulas myſticas obeuntis; per inuia montium iuga, per abruptas cautes, per aceruos niuium, per lapſus horrendos torrentium enitentis, venatoris aucupiſque animarum. Opum, dignitatum, honorum, ab Henrico quarto, virtutum Saleſiarum æſtimatore magnifico, multiſque Galliæ Proceribus oblatorum deſpicientiam prædicem? Occurrit in egenos homines, in loca ſacra tam effuſa liberalitas, vt dignam opulentiſſimis Præſulibus munificentiam exhiberet. Menſæ, veſtium, familiæ totius modeſtia ſumma & priſcis Eccleſię temporibus conſentanea, quamuis tenuem cenſum, pios in vſus copioſum reddebat. Nunquam ille ſuſtinuit Geneuenſi Eccleſiæ, quamlibet afflictæ, ſpoliatæ, dote caſſæ, tanquam libellum repudij date. Et cùm deſignatum ſe ab Leone XI. Cardinalem audiſſet; ego verò, inquit, non aliter veſtem hanc, quàm meo ſanguine purpuraſcere velim; felix ſi morte mea repræſentari vita ſaluſque Caluinianis erronibus potuerit. Quid agam igitur, Auditores, tot virtutum, tot eximiè factorum impar encomiis? Duo ad ſpecimen explicanda è tanta rerum ſerie prorſus heroïca facinora decerpo.

Scitum illud eſt, Auditores Prodici commentum Zenophonteis intextum libris, de Hercule,

le, cùm primùm pubeſceret, in ſolitudinem egreſſo, vt remotis arbitriis ſecum ipſe deliberaret; quàm potiſſimùm in illo flexu ætatis ſequeretur viam. Atque hinc virtutem, illinc voluptatem obuiam factam adoleſcenti, certatim ad ſe vtramque tenerum animum inuitaſſe; virtutem aperto laborum ad gloriam curriculo; voluptatem moliſſima propoſita viâ, quã inertibus, otioſiſque circumfluens deliciis ambularet. Non ita Saleſius, cui nunquam in deliberationem vocatum fuiſſe videtur, vtram ſe in partem daret. Non pependit animo, non fluctuauit beatiſſimus Adoleſcens; qui naturæ ipſius bonitate, ſeu potius dono prouidentiæ ſimul in vitam atque virtutis viam ingreſſus appareat.

Sed eâ viâ cum ingentes faceret proceſſus; ecce tibi è tranſuerſo blandiſſima iuuenum conciliatricula Voluptas, quæ inſtitutum abrumpat iter, ſuamque in poteſtatem incautum transferat, quò dulcior, eò periculoſior domina. Quibus verò lenociniis nec opinantem adorta eſt! Quas adhibuit machinas, conſtantiam vt labefactaret! Audite peſtiferæ graſſationis genus, academici iuuenes; & crimine ab vno inſidias pudicitiæ ſalutique veſtræ paratas cognoſcite.

Quanquam Saleſii conſuetudine nihil fieri poterat ſuauius, cùm eſſet ad vnguem factus omnique vrbanitatis cultu perpolitus; grauis erat ille tamen Academiæ Patauinæ perditis adoleſcentibus nonnullis, quibus impudentiam Iuuenis caſtiſſimi ac modeſtiſſimi pudor tacitus exprobrabat. Statuunt itaque, vt moleſti

gendiſque ſceleratis conſtantia orationem ſibi vendicat.

Mirer agentem, quatenus res diuina poſceret, in Palatiis Principum, Aulicum aſſentationis expertem, immotum calumnia, pietatis magiſtrum, præconem veritatis? Auocat me ſtrenui paſtoris laborioſiſſima diligentia, pedibus caulas myſticas obeuntis; per inuia montium iuga, per abruptas cautes, per aceruos niuium, per lapſus horrendos torrentium enitentis, venatoris aucupiſque animarum Opum, dignitatum, honorum, ab Henrico quarto, virtutum Saleſiarum æſtimatore magnifico, multiſque Galliæ Proceribus oblatorum deſpicientiam prædicem? Occurrit in egenos homines, in loca ſacra tam effuſa liberalitas, vt dignam opulentiſſimis Præſulibus munificentiam exhiberet. Menſæ, veſtium, familiæ totius modeſtia ſumma & priſcis Eccleſię temporibus conſentanea, quamuis tenuem cenſum, pios in vſus copioſum reddebat. Nunquam ille ſuſtinuit Geneuenſi Eccleſiæ, quamlibet afflictæ, ſpoliatæ, dote caſſæ, tanquam libellum repudij dare. Et cùm deſignatum ſe ab Leone XI. Cardinalem audiſſet; ego verò, inquit, non aliter veſtem hanc, quàm meo ſanguine purpuraſcere velim; felix ſi morte mea repræſentari vita ſaluſque Caluinianis erronibus potuerit. Quid agam igitur, Auditores, tot virtutum, tot eximiè factorum impar encomiis? Duo ad ſpecimen explicanda è tanta rerum ſerie prorſus heroïca facinora decerpo.

Scitum illud eſt, Auditores Prodici commentum Zenophonteis intextum libris, de Hercu-

le,

le, cùm primùm pubeſceret, in ſolitudinem egreſſo, vt remotis arbitriis ſecum ipſe deliberaret; quàm potiſſimùm in illo flexu ætatis ſequeretur viam. Atque hinc virtutem, illinc voluptatem obuiam factam adoleſcenti, certatim ad ſe vtramque tenerum animum inuitaſſe; virtutem aperto laborum ad gloriam curriculo; voluptatem moliſſima propoſita viâ, quã inertibus, otioſiſque circumfluens deliciis ambularet. Non ita Saleſius, cui nunquam in deliberationem vocatum fuiſſe videtur, vtram ſe in partem daret. Non pependit animo, non fluctuauit beatiſſimus Adoleſcens; qui naturæ ipſius bonitate, ſeu potius dono prouidentiæ ſimul in vitam atque virtutis viam ingreſſus appareat.

Sed eâ viâ cum ingentes faceret proceſſus; ecce tibi è tranſuerſo blandiſſima iuuenum conciliatricula Voluptas, quæ inſtitutum abrumpat iter, ſuamque in poteſtatem incautum tranſferat, quò dulcior, eò periculoſior domina. Quibus verò lenociniis nec opinantem adorta eſt! Quas adhibuit machinas, conſtantiam vt labefactaret! Audite peſtiferæ graſſationis genus, academici iuuenes; & crimine ab vno inſidias pudicitiæ ſalutique veſtræ paratas cognoſcite.

Quanquam Saleſii conſuetudine nihil fieri poterat ſuauius, cùm eſſet ad vnguem factus omnique vrbanitatis cultu perpolitus; grauis erat ille tamen Academiæ Patauinæ perditis adoleſcentibus nonnullis, quibus impudentiam Iuuenis caſtiſſimi ac modeſtiſſimi pudor tacitus exprobrabat. Statuunt itaque, vt moleſti

deinceps Cenſoris notam effugiant, hominem in licentiæ ſocietatem pertrahere diſſimulanter (neque enim ipſa tam probum Adoleſcentem impudentia palam eſſet auſa interpellare de flagitio) animum minimè ſuſpicacem, atque ex ſe de aliis æſtimantem, facilè in fraudem induci, facilè objectâ peccandi illecebrâ inescari capique poſſe. Non illi pectus marmoreum, Quod ignem ſubiectis ardentibus tædis non conciperet: Nec Samſone fortiorem, nec ſanctiorem Dauide, nec Salomone ſapientiorem; hominem porrò non angelum concretione liberum corporeâ, Saleſium: inuictum hactenus, quem nullus attentaſſet hoſtis; ceſſurum, ſi oppugnaretur. O conſortia hominum lubrica, ſæuioremque capitalibus odiis amicitiam, quæ ſocios expetat vitiorum, & pignus exigat fidei conſcientiam delicti! Hem, Saleſi? Túne etiam in funeſtos illos ſodales incidiſti? Ne tu quidem, tam erecto atque excitato, tam vigili atque omnia circumſpectante animo laqueos illos & plagas declinare potuiſti? Sed nullæ ſplendori tuo ſordes allini atque adhæreſcere potuerant: Nec cœno lux inquinatur; nec virtus alienis vnquam maculis obſoleſcit.

Laborat oratio, Auditores, in locum inuecta difficilem ac ſcopuloſum; cùm neque inuictiſſimo iuueni debitum laudis teſtimonium obruere ſilentio, nec ſatis amplè diſtinctéque factum exequi præ verecundia liceat. Rem præcido, quæ nulla pro merito commendari eloquentia poſſit. Perducitur in libidinum diuerſorium, quam doctrinæ officinam rebatur

Sale

Saleſius:vbi fœmina matronali habitu compoſita, vt ſcenæ ſeruiat, excepit nimium familiarem cateruam, ſermonemque miſcere cœpit cum ignaro fabulæ totius hoſpite. Senſim dilabi comites, vt opportunitatem præbeant nequitiæ; Saleſium, vt exiſtimant, iam irretitum, atque inexplicabili hærentem nexu deſerere. Tunc enimuerò, poſita illa modeſtiæ perſona & pudoris fuco detracto, cùm omnes Libidinis faces admoueret impudiciſſima mulier; quid ageret proditus Iuuenis & circumcluſus? quâ vi, quâ induſtriâ nefariis reſiſteret hoſtibus, vim pene innocentiæ afferentibus? Fuit, fuit is animus Saleſii, quem neque inteſtini corruptelarum ſtimuli ad flagitium incitarent, neque externæ flagranteſque blanditiæ emollirent.

Ea demum perfecta virtus eſt, ſi Philoſopho credimus, quæ tam altas egit radices, nullo vt turbine commoueatur, ſed pacatè atque expeditè ſuis partibus officiiſque defungatur. Ecquid intelligere libet, Auditores, quàm leui ac nullo ferè negotio tam inſperatum, tam horribilem aſſultum exceperit propulſaritque Saleſius? Sputo in os famoſæ conjecto per ludibrium explicuit ſe præſentiſſimo irreparabilis iacturæ periculo. Nec ſanè dubitaſſet linguam ipſam, vt olim Nicetas, dentibus amputatam in vultum formæ præſidentem, impudentiâ deformem exſpuere, ſi aliter extricare vincula illa nodóſque fœdiſſimos non licuiſſet. Sed nimirùm plecti contemptu proteruiam decuit, & tam expeditâ victoriâ rubor flagitioſæ fuit impudentiæ accerſendus. Nihil ergo aliud egi-

ſtis,inſidiatores, Proditoréſque turpiſſimi;nihil eſtis aſſecuti,niſi vt heroicam Saleſii conſtantiam probaretis experientiâ, oppugnatione firmaretis.

I, Victor fortiſſime ac ſapientiſſime! Caſtimoniam inuiolabili voto obſignatam; Magnæ Virginis, cui te tuáque conſecraſti omnia, præſidio illæſam clariorémque ex illo circumfrementium libidinum incendio refer. Dum euolantem è ſuis caſtris inſano clamore Venus illa iam in furiam conuerſa inſectatur; Spectatores periculoſiſſimi certaminis ac defenſores cœlites plauſu te cantúque triumphali proſequuntur. Tu illo, quem tanquam Africanum inter Deos Lactantius appellat, Hercule maior; cùm is citò ab initâ Virtutis viâ deflexerit, poſt ſublatos Tyrannos factus imperioſiſſimæ mulierculæ mancipium viliſſimum. At voluptatibus ita non ceſſiſti, vt, parta de iſtis ſemel iterúmque nobiliſſima victoria, piam in te ſæuitiem exprompſeris;corpus virgineum voluntariis afflictationibus,grauiſſimo inde contracto morbo, penè confeceris; ſiue vt alieni flagitii pœnam dolore tuo perſolueres; ſiue vt fractis domeſtici perturbatoris viribus, fortior in externum hoſtem prodires, corruptáque importunæ formæ elegantia, non modò arma, ſed etiam laceſſendi tui voluntatem omnémque belli materiem præriperes.

Laudetur ſanè ſuo merito, ac ſæculorum omnium gentiúmque prædicatione celebretur Sanctiſſimus iuuenis, & animi pudore quàm oris decore ſpecioſior, qui *adamatus non redamauit*,

mauit, rogatus non acquieuit, comprehenſus aufugit; Veſtem in adulteræ manibus quaſi contagio infectam reliquit, vt anſam excuteret Flagitij. Tua, Saleſi, victoria Ioſephi laurea, ſi fas eſt dicere, magnificentior. Hic, non ſeruitute magis, quàm beneficiis ero obſtrictus, & perfidiæ labem horruit, & pœnas metuere acerbiſſimas potuit: Tu nullo rerum humanarum obice impeditus, cùm & ſolitudo faueret ſecurior, & maiores adeſſent quàm ab Ægyptia illecebræ; vnius beneficentiſſimi Domini reuerentia ſceleratam impuriſſimi gregis conſpirationem diſcuſſiſti. Fuga Ioſephus victor euaſit, ſpolio ſui relicto ne captus teneretur: Tú non inultus è pugna, te recipiens, victoriæ tuæ notam in ceruſſato vultu, quem digniſſimo affeceras opprobrio, defixiſti. Illum calumniâ procax mulier appetiit, & innocentiſſimo famulo, qui non libidini ſeruiret, ſed egregiè ſibimet conſtanterque imperaret, meditatum adornatúmque ab ipſa facinus impoſuit, ac doloris ex repulſa ſenſum contemptoris malo leniit: Te ne ſuſpicio quidem afflare auſa eſt; bacchantis fœminæ conuicium, integritatis fuit tuæ palmariique facti præconium.

Inconcuſſus igitur eſſe Saleſius non potuit, Auditores, inuictus eſſe potuit. Sed hactenus Chriſti militem egit excipiendis hoſtium impreſſionibus, eludendis ſtratagematis exercitatum: age nunc, partem aliquam expendamus laborum, quos exantlauit infinitos, arma hoſtibus inferendo. Et ille quidem iam inde à prima ætate ad extremum vitæ ſpiritum acerrimè cum vitiis & vbique conflixit, nullas cum Ty-

ranno Tartareo eiuſque ſatellitibus pactus inducias,ſemper in eorum cladem intentus atque imminens. Quot eorum copias cecîdit! quot fugauit duces Quot arces diruit? quot aduerſa propugnacula excitauit, Non plures ille peragrauit paſſibus quam victoriis illuſtrauit regiones:nec bello tantùm, ſed ſingulis omninò prælijs ſuperior, ac vix vnquam ſine præda ſpoliiſque diſceſſit. Verùm hic ego non percenſenda Herois mei geſta ſumpſi, veſtigiáque que omnia conſectanda:ſacræ vnius expeditionis limitibus,quod reliquum eſt orationis, circonſcribam, laborioſæ profectò apoſtoliciſque viribus & animis digniſſimæ expeditionis, quam ſummi Pontificis auſpicio ſuſcepit in hæreticos Geneuæ circumiectos,Cablaſium dico, Ternerium aliosque infelices tractus, quos Bernenſes Heluetij cùm armis quondam occupaſſent non Sabaudiæ magis duci, quàm ſummo cœli terræque Principi Chriſto abſtulerant.

O ſpectaculum acerbum tibi, Franciſce, & luctuoſum, cùm cerneres paſſim antiquiſſimæ religionis proſtrata, diſiecta, conculcata monimenta!non templum,non aram ad obeunda ſacra inuiolatam, ac nullum ortodoxæ pietatis, præterquàm in ruinis veſtigium. Quo tu animo ſitum ac ſquallorum deformium locorum repurgare inſtituis!qua conſtantia onus Alpium mole grauius ſuſtines!qua alacritate moleſtias omnes exhauris; fruſtrà interponente ſe,ne aſperrimam adires Prouinciam,cum lacrymis patre; fruſtrà ex iſto laborum curſu, cùm tuis exanimaretur periculis, reuocante! nec tu es ille

ille ferreus, qui ſenis optimi atque amantiſſimi mœrore non mouearis : ſed manu ſemel ad opus expedita, pedem aut oculos referre non patitur diuini regni ſuſcepta inſtauratio. Senſûs humani mollitiam tenerior multò ſanctiórque obtundit charitas, ne diutius calamitoſiſſimam gentem iacere in tenebris,& quaſi errabundum ſine paſtore gregem à latronibus, à feris diripi ſinas & laniari. Atenim quid miſerius ſuas non agnoſcentibus miſerias? quid ægris deſperatius in medicum inſanientibus?ita dementati Cablaſienſes erant finitimique populi,cùm opportuna publicis malis remedia Saleſius attulit,oculis auribuſque ſalutem oblatam reſpuebant.

Magnum certamen, Auditores, benignitatis cum atrocitate,Religionis cum hæreſi, patientiæ cum furore, ſanctitatis denique cum omni vitiorum genere! ſeptennium ipſum tenuit ea contentio; & laboris fructum ſi ſpectas, ſeculum enumeres.Vnicum primis temporibus Saleſio fuit receptaculum arx Alligenſis, vnde mu'ta quotidie paſſuum millia conficiebat pedes,litandi gratiâ:hoc eſt.plurimis,ad vnum in vrbe Thononica peragendum ſacrum, ſuimet præmiſſis ſacrificiis veniebat. Quoties inter alpinas niues tendenti veſtigia rupto,quem penetrabili frigoris vi contraxerant, tumore cruenta rubuerunt:quoties in caſa, in maceria, ſub arbore, ſub dio per ſæuiſſimam hiemem pernoctauit! quamdiu, effractis deiectiſque torrentis fluuij pontibus, per traiectitiam tabulam obducta glacie lubricantem manibus genibuſque obnixus perreptauit;non ſine horro-

re vel Hæreticorum, vitam hominis è tenui malignóque ponticulo pendentem, atque in apertiſſimum diſcrimen proiectum intuentium!

Quid, cùm auidiſſimè caput ſuum pro lüe peſtifera contactis deuouit? quid cùm in medios armatorum globos ſe immiſit impauidus, vt ad ſolita Religionis officia progrederetur? fremebant omnia ſeditionibus; vnus omnium vocibus ad necem tanquam fœdifragus paciſque turbator depoſcebatur; obiectis telis iter ad templum obſtruebatur: pergit nihilominus eodem vultu Saleſius, Deoque fretus duce, inter conferta perduellium agmina ruinas templorum excitat; aras inſtruit, cruces erigit, ſacris operatur. Tantam, credo, animi firmitatem aptiſſimo ſymbolo exprimere voluit Allobrogum regia Princeps Chriſtina, quæ Præſulem ſibi eximiè cultum, ſacriſque largitionibus conſultiſſimè præfectum, adamante inſigni donauit. Sed adamantina vis erat animi; corpus fragile morbiſque obnoxium, quos grauiſſimos & tantùm non letales immenſis laboribus collegit, nec minori tolerantiæ laude ſuperauit.

Parum tamen Saleſio fuit, fines hoſtium pietatis incurrere: caput ipſum rebellionis ſacrilegæ petebat; opima ſpolia è Duce Heterodoxorum ambiebat. Geneuã ergo, arcem illam impietatis, flagitiorum omnium aſylum, Caluinianæ Sectæ Metropolim aggreditur; Primipilos vocat ad legitimam concertationem: & cum elicere caſtris latentes non poſſit, in hoſtilia munimenta impetum facit; priuatis congreſſibus

greſſibus fundit fugatque obuios;captiuos abducit, ſeu potius Chriſti libertos: Bezam ipſum, perfidiæ coryphæum, ſcriptis factiſque procaciſſimis infamem, ter quaterue adortus, ſic exturbat, ſic implicat, vt vocem extorqueat conſcientiæ indicem, teſtem veritatis. Nec deſtitit blanda vi, officioſiſſimaque pertinacia labem illam ac peſtem pergere; quoad intellexit improbiſſimi deſertoris obduratam longo vſu flagitiorum obſtinatamque pereundi voluntatem, vt homo ad multorum perniciem fatalis, ſuâ ſe ipſe demum ſalute fraudaret, qui toties alienam euertiſſet.

Liceat hîc tecum agere liberiùs, Saleſi, ac de prudentia tua quærere, ſatiſne prouide in ſinum vrbis inimiciſſimæ aut irrepſeris aut irruperis? Tunc illud ſcelerum gurguſtium ingredi? Tu os illud Bezæ ferreum aſpicere & laceſſere auſus es? Tu Principis Tartarei adminiſtrum primarium ad ea, quæ turpiſſima defectione reliquerat, Eccleſiæ ſigna reuocare? nec timuiſti piis omnibus infeſtiſſimæ ciuitatis furorem, cùm grauiſſimam nationi Caluinianæ ſecurim infligeres? columen illud partium, & quaſi Atlantem Geneuæ labefactares? cùm prædas non ſolùm è finitima circumquâque regione ageres, ſed ex ipſo vrbis gremio auerteres? ſectarios & ſigniferos abduceres? occultos aliquot Ortodoxos myſteriis procurares? an eluſurum te hominum oculos ſperaſti, Geneuenſibus frequenti ſua clade nimis cognitus; Túne etiam, cùm perfectionem rei Catholicæ perutilem exundans Rhodanus intercluderet; tu per mediam Geneuam iter habiturus

turus , vbi nomen ad portas edere pro more iuſſus es , *Epiſcopum* te *diœceſis* indicare non dubitaſti ? atqui tutius Rhodano effuſis late vndis ſæuienti, quàm colluuioni ſcelerum Geneuenſi crediderís. Vtrùm te, Franciſce, amoris, quo gregem efferatum deperibas, incenſa vis; an hoſtes diuinæ miraculum prouidentiæ occæcauit. illius adeò Prouidentiæ fiducia impulſus, ope ſubnixus , ab iis emiſſus es incolumis, qui deinde ſtupori ſuo indignantes , ferociſſimè iactarunt, audaciam tibi iſtam, ſi fuiſſes deprehenſus, capite luendam. Vitæ ſcilicet, quam factionis ſuæ funus numerabant , peperciſſent, qui venenum tibi aliquando miſcuerint; à quo tu exitiali poculo , non niſi certiſſimo deiparæ ſubſidio conualuiſti. Quid Geneuæ non feciſſet immaniſſima bellua Hæreſis, rebus à te ſanctiſſime geſtis exaſperata , vt damna ignominiamque ſuam tuo cruciatu ſolaretur; quæ percuſſores ante adornaſſet immiſiſſetque in abſentem?

His periculis non terrebatur Saleſius , Auditores qui vitam libens ſanguinemque iis ipſis, à quibus petebatur, impendiſſet: & verò tormenta in ea cauſa pro beneficiis ſuſcepiſſet; Id certè adeptus eſt , vt maximâ finium parte multaret Hæreſim , velut pomœrio nudatum hoſtem in arcem intimam compingeret ; per Lemanum lacum explicatis ſalutaribus ſignis feſto cum cantu pompam ad D. Claudij duceret triumphalem : in ipſo Geneuæ aditu ac faucibus crucis trophæum defigeret. Iam victoriarum innumerabilium cenſum quendam

inij,

inij,cùm hominum ſeptuagena millia retuli ad Romanam fidem aggregata, Hoc vnum, ne cui forte liberalius agere videar, addidero; tractum ad Geneuam ſane amplum ac plus ſexaginta diſtinctum pagis & oppidis ita expiaſſe trienni labore vnum Saleſium,vt centum omninò Caluinianos relinqueret diſcedens, vbi centum omninò Catholicos adueniens reperiſſet.Quâ ille rerum commutatione,feliciùs multò quam crebritate miraculorum, Neocæſarienſem Antiſtitem expreſſit;eâ quidem parte ſuperior, quod breuiori longè tempore maiórem, quàm celebratiſſimus ille Thaumaturgus, regionem Chriſto ſubiunxerint.

Quare Virtútes alij Saleſianas perſequantur; conflata virorum auguſtiſſimo Crucis labaro addictorum, ſacrarumque Virginum ſodalitia commemorent; miracula inclyta, honoreſque alios viuo mortuóque habitos extollant: mihi ego Saleſii laudes vniuerſas collegiſſe videor, vno, tam multiplicis victoriæ compendio, cumulatéque *potentem opere ac ſermone*, Oratorem Actoremque diuinum comprobaſſe.

Te nunc appello,vir beatiſſime, cui pro benignitate iſta ſingulari probatum hoc meum ſtudium non diffido,collatiſque in Rempublicam chriſtianam,in ſocietatem noſtram officiis & plurimis & maximis pro mea parte reſpondendi voluntatem. Tu cœlitum cliens non factus, ſed natus es;à Parente pia nobilique Matrona, Chriſto virginique iam inde ab vtero

con

conſecratus. Naſci properato viſus es, quò citiùs è primigenij concretíque peccati ſordibus emergens. Naturam Gratiamque amiciſſimo fœdere nexuiſti, vtriuſque donis ornatiſſimus; vt neque gratiæ obluctaretur, neque hæc vitiis exuendam haberet naturam, ſed virtutum acceſſione diuinarum cumulandam. Franciam Sabaudiámque ita meritis deuinxiſti tuis, vt de te certet vtraque: & natales quidem generoſiſſimos ortúmque Sabaudia vindicet, morte verò ſanctiſſimâ Franciâ glorietur.

Si lectiſſimos viros deſignare prodigiis ſolet rerum ſapientiſſimus Moderator; magnus in ipſa pueritia Angelo Iuſtiniano, Geneuenſi tunc Epiſcopo, illuxiſti, dum te aliptes myſticus confirmatione, vt vocant, ſacrum Athletam autoraret, iam tum exiturum aliquando temporis tui miraculum augurato. Quantus verò in ampliſſimo Chriſtiani orbis theatro apparuiſti, cùm te Clemens Pontifex maximus non tam ad ſolemne Præſulum examen, quàm ad probatiſſimæ vitæ doctrinæque gratulationem ac plauſum vocauit! quantis in Belgio lætitiis, quo triumphi apparatu exceptus, Pacis Angelus, Principum Arbiter, populorum conciliator, Philippi tertij Regis Catholici Albertique Archiducis cum ſanctiori Sequanorum ordine controuerſiam Romani Patris nomine & autoritate diremiſti! nunquam imago animi veriùs appellata oratio, quàm ore calamóque tuo profecta, quæ ſuauitatem vnicè

ſpira

ſpiraret, puriſſimis cœli deliciis perfuſa & delibuta; plaudiſſimæ vultûs maieſtati, atque interritæ formidoloſiſſimis locis ac temporibus conſtantiæ adiuncta, ſicariorum in caput tuum ſtrictis gladiis inuolantium furias deliniret, facinoroſas manus exarmaret;& quæ iugulum petebant, ad genua ſupplices abiiceret.

Non tu intento digito viam indicaſti pietatis; ſed aliis apertum curriculum Dux ipſe grandibus impreſſiſti veſtigiis: ſanctimoniæ præcepta è propriis hauſiſti moribus: ore vitáque ſpectabilem amabilémque Virtutem expreſſiſti. *Quis verba vitæ* (vt hoc è ſacris vſurpem litteris) quis *verba vitæ* habuiſſe, atque in cœlo vim obtinere immortalem negarit eum, cuius *mortuum prophetet corpus* geminis excitatis funeribus. Sed plures quotidie, grauiorique morte oppreſſos ad vitam reuocas æternis laudatiſſimorum librorum exemplorumque monimentis.

Reſpice, Antiſtes ſanctiſſime ac Beatiſſime, reſpice Geneuenſes illos quondam tuos, etſi curis laboribúſque tuis ingratiſſimos. Qui vnâ vicorum aliquot luſtratione Tyrannos octoginta tortoréſque infernos occupatis inſeſſiſque corporibus eiecisti; Hæreſimne ſuâ illâ arce deturbare atque exterminare minùs poteris? Magnam certè ſpem, rerumque expectationem futurarum ſuggerit recens illa tot execratorum in Gexenſi regione fanorum vno Regis Chriſtianiſ

ſtianiſſimi iuſſu Strages edita: Spondétque fore aliquando, vt priſca vbique ſinceraque religio non reuireſcat modò, ſed etiam Floreat auſpicio tuo; Adeodati, Victoris, Pacifici, ſemper Auguſti Principis imperio: & quæ agentem in terris Oratorem Geneua parum audit, audiat é cœleſti ſuggeſtu magnificentiùs perorantem.

INCLYTO

INCLYTO HEROI,
NICOLAO
COMITI SERINO,
PANNONICARVM COPIARVM IMPERATORI,
TVRCARVM TERRORI,
PANEGYRICVS.

Authore

P. LEONARDO FRIZON E SOCIETATE IESV.

HEROEM celeberrimum, cuius acerbiſſimum funus publico luctu Chriſtiani, Barbari feſtis ignibus proſecuti ſunt, factorum immortalium gloriâ rediuiuum ex vltimis Pannoniæ oris in cœtum iſtum, conſeſſúmque ampliſſimum adduco (Auditores Ornatiſſimi) externum hominem, fateor; ſed commune Chriſtia-

næ,

næ Reip. decus & ornamentum : iam legitimo annui propè doloris ſpatio defletum;ſed acriori in dies omnium deſiderio repetitum. Habent peregrina admirabilitatem : vultus alienigenarum habitúſque diligentiùs intuemur, quàm popularium ; & , quæ Franciæ laus eſt, hoſpites humanitate complectimur ſingulari. Quòd ſi virtutem vel in hoſte dignam laude iudicamus ; quis meum de fortiſſimi Viri clariſſimique Imperatoris laudatione conſilium improbarit , vt non continuò virtutis præconio inuidere videatur ? Præſertim cùm is fuerit in magno Serino amor ea Gallici nominis exiſtimatio, vt Gallorum auxiliares copias vnicè expetierit : quibus ſi fuiſſet inſtructus atque armatus , iam ſibi nec Turcarum vim & impreſſionem reformidandam, nec Germanorum aliarúmque Gentium ſubſidia requirenda ſentiebat.

Accedit autoritas , quanta poteſt eſſe maxima , prædicandæ fortitudinis illius heroicæ, Regum idem maximus & ſapientiſſimus , vnúſque ex omnibus rerum præclarè geſtarum Cenſor ac Iudex ſpectatiſſimus;qui non honorificentiſſimis modò verbis expeditiones , pugnas,victorias, præſtantiſſimi Ducis in Aula iactauit , verùm etiam tranſmiſſis inſignibus donis ac ſplendidiori omnibus præmijs gratulatione decorauit. Felicem planè Ducem, ac fortunatiorem eximio tanti Principis teſtimonio atque elogio , quàm ſi tota in plauſum & acclamationem effuſa theatra circumſonarent ! Quid igitur mihi, Auditores, ſpecioſius ad dicendum contingere potuit , quàm vt interpre-

tem

tem auguſtiſſimi geram oraculi? quod vobis acroama iucundius, quàm ſi Ludouicex voci, velut imago, in hoc Regali Athenæo mea reſonet oratio? quid opportunius denique facere licuit, quàm vt hoc funebri die quaſi funebrem inſtituam Panegyricum? neque iuſto ſeriorem, cùm hic primus ab illo caſu funeſtiſſimo agendi locus datus ſit, gratique in publicum rei Chriſtianæ propugnatorem animi conteſtandi.

Honorem ineſſe lacrymis & voluptatem, vetus eſt pronunciatum. Ego verò non ſquallore, non planctu & lamentatione ſummo Imperatori iuſta perſoluenda duxerim, ſed apparatu longè pulcherrimo ac triumphali. Fingite vobis animo, Auditores, diſtinctam hanc aulam ſignis & vexillis militaribus, quæ crebrâ validaque præliorum contentione Turcis eripuit Serinus: trophæa vocis illa,, quibus Croatiam Hungariamque illuſtrauit, præponite: concentum illum Europæ atque Aſiæ, quo Vir bellicoſiſſimus & multarum palmarum Imperator exornatur, cogitatione gratiſſima vſurpate: dum ipſe pro mea tenuitate laudes perſequar Heroïs inuictiſſimi, de Religione, de Imperio egregiè magnificéque promeriti; Chriſtianorum omnium & Principum & Populorum admiratione encomiiſque celebrati.

Sed antequam ad excelſas exaggeratáſque Sereni virtutes aggrediar; quibus quamque generoſis radicibus ea bellicis in rebus decora nixa atque excitata ſint, indicabo. Equidem, ſi nihil eſſet aliud in Serinorum ſtirpe ac faſtis commemorabile, quàm ſplendor nobilitatis,

ditionis amplitudo ; facilè morem Oratorum atque inſtitutum omitterem de genere illius, cuius exornationem ſuſceperint, differendi;neque in tanta ſingularium laudum copiâ communibus & vſitatis immorarer. Atenim cùm Serinus eiuſmodi ſit ortus maioribus, vt hereditariâ fortitudine Terror Barbarorũ extiterit; non committam, vt laureatæ imagines honeſtandæ exſequiarum pompę defuiſſe videantur. Tametſi nec omnia producenda mihi arbitror Auorum ſimulacra, ne diutius oculos veſtros longa ſeries occupet triumphalium virorum. Specimen eadem totius gentis ; vnúmque vobis,vnde coniecturam de cæteris capiatis,exhibebo Nicolaum Serinum , quem hic noſter Auum & nomine & animo & omni virtutum genere prorſùs retulit atque exſcripſit.Ac ne illius quidem laudatiſſimi , & omnium gentium , omnium litterarum monimentis ornatiſſimi Heroïs dignitates, imperia, vitam martiis operibus contextam euóluo: ſupremum actum duntaxat propono, mortem quâ memoriam ſibi gloriámque peperit ſempiternam.

Solimanus , longâ iam octoginta ferme annorum ætate in Chriſtianorum direptionibus exercitâ ; tot Principum cladibus , tot regnorum excidiis nobilitatus;integrâ viridíque ſenectute acerrimus , Sigetho Pannoniæ oppido ſupra ducenta armatorum millia admouerat. Locum inſidebat munitiſſimum Serinus; at ipſâ munimentorum varietate & multitudine delibatum ob exiguam manum præſidiariorum militum ; qui omnino trecenti ſupra

pra duo millia in duas vrbes,totidem arces diuiſi ac diſperſi, nullâ ex parte ſufficerent, niſi vnus maximi validiſſimique inſtar præſidij Serinus Præfectus obtineret. Hîc ego quid molitiones, aggerés, cuniculos, impetus Barbarorum exſequar?cùm prætorianos Turcas vrgeret imperioſa atrocis Sultani præſentia; cùm propugnacula cæcis laboribus ſuffoſſa corruerent; cùm innumerabilium immaniſſimorumq; tormentorum aſſidua exploſio mœnia labefactaret, turres excuteret, tecta diſijceret. Sileo pulcherrimum inſiurandum, quo ſe præfectus ſuoſque ante obſidionem religiosè obſtrinxerat; Prudentiæ ſcientiæque militaris inſtituta, quibus vrbem ciuitatemque munierat; præſentiſſimum animum, quo ſe periculis obiecerat, & concidentibus ſaxis aditum ferro obſtruxerat.Compendio rem tranſigo:ad quindecim aſſultus lectiſſimarum ex vniuerſâ Turciâ copiarum ſuſtinuit; & quidem interdum ad ipſas quatuor & viginti continentes horas, dum ex immenſo, exercitu ſubinde aliis alij, defeſſis recentes ſauciis integri ſuccederent: ad triginta hoſtium millia inter propugnationem, in iiſque Baſſas quatuor cecidit; eò Solimanum adegit, vt ægritudine animi veriùs quàm corporis morbo conſumptus obſidioni immoreretur.

Verùm eâ morte à Mahomete purpurato vaferrimè celata,vt nulla eius veſtigia exſtarét in caſtris;vt ne tenuiſſima quidem tanti caſûs aura domeſticos afflaret, nedum ad hoſtes emanaret; numero obrutus Serinus, qui duo

propugnatorum millia ducentis oppugnantium militibus opponeret ; inflammatâ nouâ primùm vrbe, veterem diu ſeruauit ; veteri vrbe diſturbata, arcem maiorem eatenus retinuit, viris ignibúſque pertinaciſſimè obluctatus, donec incenſo propugnaculo infinita vis flammæ conſpirantibus ventis ad ſulfurati pulueris aceruos perueniſſet. Tum demum ad interiorem arcem extremáſque rerum anguſtias contruſum ; annonâ , machinis , militibus, loco denique ad repugnandum , ad conſiſtendum abſumptis, , fœdiſſimè graſſante penitúſque omnia depaſcente incendio , quid conſilij cepiſſe ſuſpicamini, Auditores? fugam eſſe meditatum, vbi nihil eſſet reliquum fortitudini? deditionem cogitaſſe ? aut (quod maximum à probatiſſimo Duce expectari poſſit) omnibus armis inſtructum, in medias hoſtium acies ſeſe immiſiſſe , neceſſitate furentem , deſperatione præcipitem ? Nihil egit trepidè , inconſultè nihil : mortem ratione digeſſit ; ad decus , egreſſum è vitâ Sigethoque compoſuit.

Iam inde à primo deſignatæ obſidionis rumore, ad victoriam aut necem paratus; poſteaquàm vrbem geminam, arcem vtramque, dum ſtetêre, tutatus eſt, earum ſe ruinis iacentium inuoluere ſtatuit : neque arma ad repellendam mortem , ſed telum ad inferendam deligit. Triumpho ſe accingere credideris: ſic ad ſplendorem excultus; galero ardeatinis pennis adamantibúſque inſignito pro galeâ, paludamento pro thorace ornatus; claues arcis ſinu conditas ad vltimum vitæ ſpiritum ſeruaturus,

turus: , erumpit cum aliquot nobilium, frequentiſſimis cruentiſque dimicationibus ſuperſtitum , globo. ; exoneratis interim, quæ reſtabant , minoribus bombardis ad opportunitatem eruptionis ſtragémque Barbarorum, Præeunte ſigno Cæſareo progreditur in pontem , deuotus non Diis Manibus, ſed vero æternóque , cuius piè magnificéque nomen inclamauit , Seruatoris hominum ac Vindicis numini. Gladio inter confertos & vndique prementes Ianiſſaros rem ita per dimidiam horam gerit , vt obſtupefacti fortitudinis miraculo hoſtes vltrò ad deditionem iuuitarent. Quid plura ? viuus in Turcarum manus venire non ſuſtinet : glorioſiſſimis in aduerſo pectore & capite exceptis vulneribus occumbit ; ingens omnibus vrbium obſeſſarum Præfectis exemplum ac documentum.

Atenim ſibi propriè vnicéque natum ac propoſitum exemplum hoc domeſticum ſemper arbitratus eſt noſter hic Serinus, Auditores. In Aui ſimulacrum & imaginem , vt ſpeculum , intento erectóque animo intueri ſolitus , ad eius quàm proximam ſimilitudinem vitæ ſuæ rationes exigit ; neque tam ſanguinis , quàm heroïcæ virtutis communionem vindicauit. Et verò ſic Auum Nepos digniſſimus exprimere amauit,vt vel habitu referret;eoque maximè cultu corporis & ornatu , quo mortem illum ſuam honeſtaſſe iam audiſtis , ſplendidus in Aula Viennenſi luce apud Cæſarem

verſaretur. Id enim ab oculato locupletiſſimóque teſte accepi ; Dynaſten qui bellico puluere ſordeſcere pariter ac decorari gauderet, nitidum eundem atque elegantem in palatio ; virili tamen & imperatorio quodam luxu, non ad mollitiam & delicias,ſed ad magnificentiam & pompæ ſpeciem triumphalis. Eminebat, inquit,ſerico pileolo ardeatinarum pennarum faſciculus, ex adamantinâ palâ in modum criſtæ aſſurgens:veſtis,pro gentis more, fluxa & pretioſa, cui acinaces incumberet aureâ catenâ ſuſpenſus.Prorſùs vt,qui fortitudine parem in acie haberet neminem, in Purpuratorum cohorte, vnus omnes formæ amictúſque dignitate facilè ſuperaret, nec ſine terrore aliquo voluptatem offerret ſpectantibus.

Quàm acris memoria in optimi Nepotis pectore viueret ac vigeret æmulandi Serini majoris ; quàm altè infixi ſtimuli animum incitarent ad eius ſequenda veſtigia honoríſque curriculum emetiendum ; teſtis illa planè magnifica vox, quam reddidit Auguſto amicè monenti,ſibi vt maturè caueret cõſuleretque,ſi fortè à Barbaris in ſua arce circumſideretur. Negauit Dux præſtantiſſimus, qui ſe non ſibi, ſed reipublicæ natum exiſtimaret,alio ſe tumulo quàm verſis in ipſum mœnibus obtegendum:ita Majorum exemplis admoneri, vt ſanguinem ſuum ad muri labem pro patria & Religione profunderet. Quare non eſt, Auditores, quòd me quiſquam temerè in præclaræ necis commemoratione nimium cenſeat ; longiúſque, nec ſentientem fortaſſe, ipſa rei admiratione prouectum. Nam cùm eam partem laudationis, quæ petitur à Progenitorum vir-

tute & gloriâ, quámque latiſſimè crebri perſe-quuntur Oratores, vniuerſam in vnius hominis factum famámque contulerim: tum præterquàm quòd ea laude ſtrictim curſimque defunctus ſum, iſtiuſmodi virum ac virtutem expoſui, vnde tanquam ex pulcherrimo fonte laudes poſterioris huius Nicolai vberrimæ profluerent, ac reliqua ſeſe diffunderet oratio.

Num verò, dum Sigethanam propugnationem & palmaria inuictiſſimi Præfecti facinora aduerſùs Solimanum oculis veſtris ſubjicerem; cuipiam veſtrûm, Auditores, ſubijt vereri, vt ſatis expectationem auitæque fortitudinis dignitatem nepos quamuis egregius ſuſtinere poſſit? Adeſte ſecuris animis, & aliquid auditis non inferius accipite. Sigethum ſuperior ille Serinus propugnauit; hic expugnauit: ille Solimani vitam exſtinxit; hic mauſolæum eius ſuperbiſſimum diruit. Quam vrbem totis adortus viribus potentiſſimus Imperator, infirmam prædio, iniquâ tempeſtate pene proditam, cùm exſiccatæ feruoribus æſtiuis paludes facilem ad muros aditum præberent, expugnare tamen perdiu non valuit; ſed bimeſtri oppugnatione attritus, incœpti tædio ac deſperatione extabuit: eam iunior Serinus, cùm nouam, tum veterem vrbem, paucis ac tumultuariò collectis copijs inuaſit, occupauit, diripuit. Diuinâ ſanè prouidentiâ factum eſt, vt quaſi ex oſſibus Aui & cineribus exortus, vltor cladẽ Barbaris cẽteſimo poſt anno rependeret; cenotaphiúmque infeſtiſſimi Chriſtianis Tyranni ac trophæum de Pannonicis cladibus &

ruinis erectum funditus exſcinderet.

Age ſanè,iacta cæteræ laudationis ſemina colligamus:cúmque iam in Arce, in Ponte ac ſtrage Turcarum defixa ad immortalitatem monimenta ſpectauerimus,quid ſimile quid comparandum in Heroë noſtro, animaduertimus?

Seriniam quidem Arcem qui neſciat, hoſpitem eſſe in Europâ,ne dicam in orbe terrarum, oporteat. Hoc illud Pannoniæ validiſſimum propugnaculum,Turcicæ potentiæ ac tyrannidis frænum, hoſtium aceruatis ſpolijs opulentum, conditoris nomine celebratiſſimum, quis ſatis pro merito commendarit? Quam arcem primùm ſuſcipere ac moliri propè à Caniſâ ad coërcendas Barbarorum excurſiones, cuius vel conſilij vel magnitudinis animi fuit?ſubſtruere in mediâ inſulâ, loco paluſtri & ſtagnantibus aquis propè inuio & inacceſſo, cuius artis & prudentiæ? Tantam efficere, quantam nulla vis hoſtium diu aut inuadere auſa ſit, aut concutere potuerit;cuius peritiæne dicam, an magnificentiæ? attentatam interdum & ſubito incurſu oppugnatam;diſiectis profligatíſque Turcarum copijs, ſoluere metu, periculo liberare;cuius virtutis & vigilantiæ fuiſſe prædicabo? Tantâne vnius hominis priuati vis, opum tanta profuſio; vt ſuâ ſponte, ſuis impendijs arcem operoſam deſignarit, munierit aggeribus, machinis inſtruxerit, ornarit commeatu;totam Barbariem armatam,efferueſcentem in Romanum Imperium atque erumpentem, ceruicibus intercluſam ſuis ſuſtinuerit ac propulſarit?

Grauiter omnino tulit Sultanus id ſibi obie-ctum clauſtri: & qui ſummos Chriſtianorum Principes haberet ludibrio, ac liberè in omnem partem vagari omníque vaſtitatis genere ſæ-uire ſoleret; ſibi à Comite præfixas impe-rij metas, ſcopulúmque ad æſtum inſanæ ambitionis retundendum. Quid, quòd ex arce illâ in Ottomannorum fines atque adeo in Turcicarum Prouinciarum ſinum penitùs irrumpere, populationiſque fructus ampliſſi-mos eò Serinum conuehere, nec ferre pote-rat, nec prohibere? Inde minaces illæ denun-ciationes, expoſtulationéſque armatæ. In Auguſtum pariter atque in Serinum, (quæ ipſi conjunctio glorioſiſſima extitit) ore furi-bundo intonabat. Inde, cùm ageretur de pace, illud in primis expetitum, Serinia vt arx dele-retur. Sentires iniecto fræno vrgeri ferocita-tem, ac compreſſam obluctantémque huc at-que illuc ſe torquere & impatientiſſimè agi-tare. Vbi conditiones iſtiuſmodi ſurdiùs au-diuntur, immittitur exercitus, qui captatâ Seri-ni abſentiâ inuiſam arcem adoriatur. Sed, ecce tibi, audito aduentu hoſtium, repente ingenti voratâ viâ incitatiſſimo curſu Dynaſtes aduo-lat: ipſóque acceſſu ſic percellit, ſic de omni ſtatu deijcit formidabiles copias, vix vt ſe ve-niſſe, ac videndo viciſſe potuerit gloriari.

Hìc audire mihi quempiam videor obſtre-pentem: Quam tu arcem canis & venditas, quæ tormentorum vi lacerata, cuniculis ſu-bruta & conuulſa, certè nulla eſt? capta, expila-ta, ferro flammâque diſſipata euanuit. Quaſi verò ſit aliqua humanorum operum tanta fir-

mitas, quæ non manibus humanis armorúmque viribus infringi conficíque poſſit. Quin ipſe, quiſquis obloqueris, fatum arcis excidiúmque diligentiùs conſideras? Agnoſces profectò ex ruinâ magnitudinem; & Seriniam Arcem ſic eſſe diſiectam exciſámque à Barbaris, vt ad Autoris Dominíque laudem adhuc integra ſtet, conſecuturíſque porrò ætatibus conſtitura ſit, nullâ temporum, nullâ hoſtium iniuriâ & labe imminuta Quis enim arcem, & quâ maximè viâ expugnauit? Primarius imperij Adminiſter Ottomannici, qui eo Chriſtianorum vallo euerſo prædarúmque ex Turcis receptaculo, longiſſimæ atque operoſiſſimæ fructum expeditionis cepiſſe ſibi viſus eſt, auidiſſimóque talium nunciorum Sultano Muſulmannici probrum nominis limitémque ſublatum imperii gratulatus.

Gentiles Croatorum copias interim ducebat Serinus, arcis cuſtodiæ præfecto (vt intelligas, quanti Gallicam virtutem ac ſolertiam fecerit) homine Gallo, nobili expertóque Duce. Ipſe, quando nulla permittebatur iuſti prælii facultas, in omnem carpendi agminis Turcici occaſionem intentus atque imminens, Muræ fluminis traiectu hoſtes prohibebat; multas armorum ſuorum & corporis obiectu Prouincias tuebatur. Nec tamen deerat ſuis in arce ab infinito Turcarum exercitu, circumfuſis: opem ferebat laborantibus: arcem ingreſſus, ſemel lunato munimento potitos Barbaros plurimâ cum ſtrage deturbauit. Iam certiſſimum dedecus, præſentiſſimum exitium capiti ſuo impendere ſentiebat Turca Polemarchus; acinacémque

cémque illum gemmis inſignem, anceps munùs & terrificum ab Sultano miſſum, ſi parum feliciter dextréque tractaſſet, ceruicibus ſe excepturum. Itaque ſummam impreſſionem comparat;& , antè ſauciato grauiter arcis præfecto, atque in proxima Chriſtianorum caſtra deportato (breuî pòſt extincto)promouet nubilo tectas copias; admotíſque ſcalis, furentes ſtrictis gladijs prætorianos in arcem immittit, pænè ſuperato priùs muro,quàm vel aſcendere, vel aliquid meditàri, ſiue à præſidiariis militibus.ſiue à vicino Cæſarianorum exercitu aduerterentur.

O caliginoſum, atrâque nota digniſſimum diem, nec magis Dynaſtæ fortiſſimo, quàm vniuerſæ Croatiæ, Hungariæ, Germaniæ pernicioſum! Quid primùm conquerar? quos potiſſimum accuſem? quò caſtri ad annuam obſidionem tolerandam omni copia inſtructiſſimi, reipublicæ Chriſtianæ tàm ſalutaris, neceſſarij, non diutiùs retenti ac defenſi rationem & culpam,quæ nulla in Serinum cadere poteſt,quò conferam, Auditores? Repentino atque improuiſo oppugnantium cominus Ianiſſarorum adſpectu perculſi & panicis quibuſdam acti cuſtodes, non pugnam, ſed fugam cogitarunt: ipſáque trepidatione præcluſo effugio, pœnas ignauiæ quas Serino debebant,hoſtibus dederunt.

Equidem alias ſcio ad Cæſarem perlatas querelas:& ſuſpicaces malignáque conſiliorum interpretes, de illo belli nodo ac mora quid ſubodorentur, haud ignoro. Vtinam licuiſſet, Auditores, optanti Serino impetum in

caſtra hoſtium facere! non ſpiritus illos Martios,non oculorum ardentium conjectum, non vocis Imperatoriæ terrorem, non dextræ fulmina Barbari ſuſtinuiſſent. Atenim negata ſunt, quæ firmando Croatorum ſuorum agmini expetebat tria duntaxat millia, cum Franci nondum adueniſſent, Germanorum. Quòd ſi adfuiſſet flos ille delectus Galliæ; quid ijs adjunctis non effeciſſet, cum illos animos, artem illam vímque adhiberent, quibus ſubinde ad Arrabonem fluuium planè fractum eſt robur hoſtilis exercitûs? Non arcem vnam modò,ſed, fuſis ac fugatis Europæ atque Aſiæ copijs, totam quàm latè patet, Pannoniam ab importuniſſima teterrimâque ſeruitute liberaſſet. Verumtamen Cæſariani exercitûs Prætori venia danda, quòd expetitas cohortes roganti tradere ad oppugnationem caſtrorum recuſauit:laus tribuenda, quòd Auguſti ſtetit mandatis, neque vllâ ſe ratione abduci paſſus eſt à præſcripta lege diſciplinaque militari. Multa vereri coguntur ij, quibus ſumma cõmiſſa eſt reipublicæ;ancipites præliorum exitus, cladi connexa in ignominiam & calamitatem, vrbium expugnationes, direptiones Prouinciarum. Prudentius nimirum eſt timere, quàm ſperare. Habenda eſt Principibus in conſilio fortuna publica: damno aliquo,grauioris detrimenti periculum aliquando redimendum.

Atque vt illud etiam attingam, quod re ac tempore conjunctum eſt (nihil enim eſt in Serini vitâ factiſque diſſimulandum) ſolutam

Cani

Caniſæ obſidionem quis audeat reprehendere? id quod & neceſſitas imperauit; & , ſi quid eſt vitio dandum , totum eſt fortunæ peccatum. Neque enim temerariæ illi (ſi fas eſt cum profanis loqui) euentuum dominæ ita cum Virtute conuenit , vt non aſſiduè conſilijs eius cœptíſque inſidietur , ac quidquid potuerit , de gloria decerpat. Non tamen ſuſpenſas ex illa Virtus ſuas rationes habet;apta eſt ex ſeſe:felicitatem præſtare nõ poteſt;induſtriam vim, cõſtantiam præſtat. Ecquam igitur partem omiſit Serinus bellicarum artium ? qua prouidentia, qua celeritate omnia circumquaque populatus, Ganiſæ oppugnationi incubuit! Iam olim exuſtis ſuburbijs proluſerat ; atque hinc paluſtribus aquis , illinc artefactis ignibus eluuionem atque incendium pariter vrbi immiſerat. Quâ conſtantiâ labori inſtitit ; cùm è quatuor ſtrenuis Comitibus , ſimul arcem obſidentibus, vnus acerrimè ſuos promouerit, dum iniquo & paluſtri loco in multam noctem foſſis inſiſteret ; mediúſque militem inter & ducem, teſtis idem actórque operam non magis exigeret auctoritate , quàm exemplo intenderet, Eò denique ciuitatem adduxerat , vt ſuffoſſis vndique mœnibus & propugnaculis vltimum deſperationi ſolatium Caniſenſis Præfectus appararet , cuniculorum incendiario puluere ſe ſuáque conſumpturus.

Caniſam cùm dico , Auditores, vrbem dico firmiſſimum Imperij Turcici aduerſus Hungaros Germanóſque munimentum & armamentarium:cuius liberationẽ vſque adeo cordi habuit

habuit ſummus Ottomannicorum exercituum Prætor, vt omnia eius cauſâ in diſcrimen ſe daturum pollicitus, vires omnes ad perrumpenda Chriſtianorum caſtra nec munitiſſima contraxerit. Id quidem ſapientiſſimè cauerat, maiori etiam fortitudine egerat Serinus, vt pontem Eſſekianum abrumperet ad Barbarorũ impetus retardandos. Auditâ collectorum hoſtium famâ;caſtris excurrens ipſemet omnia recognouit,impendenti malo occurſurus: quidquid vſquam hoſtile reperit, diſcuſſit ac peſſumdedit. At verò poſtmodum aut minùs fidi aut parùm ſeduli Curſores, dum vrgetur obſidio, Iſmaëlis Baſſæ cum immenſis copiis aduentum non antè renunciant, quàm is proximè à Chriſtianorum caſtris abeſſet. Deus immortalis, quæ viri fortis ac ſapientis illa conflictatio fuit! quam acris aſperáque virtutum inter ſe,non pugna quidem, ſed agitatio atque in varias partes diſtractio!cùm hinc Fortitudo hoſti cedere non ſuſtineret; illinc Prudentia cum paucis agminibus effuſam illam cunctæ Barbariæ tempeſtatem exſpectare omninò prohiberet! Ceſſit demum Fortitudo Prudentiæ, ſine qua non Fortitudo, ſed temeritas fuerit; ſéque ad æquiorem locum & Chriſtianæ Reipublicæ commoda reſeruauit.

Alia prætereo conſultò: Auditores,quæ ipſi me ſilente intelligitis:cùm eſſent quatuor pari poteſtate Duces, quàm impedita eſſet obſidio. Illud quidem vſuuenit in re bellica multis Præfectis credita, vt pares inter æmulóſque haud minor ſententiarum inter ſe, quàm cum hoſtibus,armorum exiſtat contentio. Atque vt

inui

inuidioſa prætermitam ; auxiliorum certè ab Ordinibus imperij ſubmiſſorum difficultas & cunctatio exſpectationem Serini, qui ſucceſſum obſidionis in feſtinatione repoſitum habebat, fefellerunt.

Commodiùs dixerit aliquis fortaſſe ac ſpecioſiùs non Martem illum communem, non Fortunam plurimùm in re bellica potentem; ſed vnicum belli præſidem atque adminiſtratorem Deum, cuius maximè gloria in altiſſimorum capitum deiectione triumphet, victoriam naturâ ferocem caſtigare ac reprimere infelici caſu voluiſſe. Et quidem in tanto rerum ſecundarum impetu perpetuáque triomphorum ſerie, quis admonendum infirmitatis humanæ Serinum fuiſſe (ne felicitate nimiâ & quaſi propriâ certâque vincendi facultate corrumperetur) ſubſidij cœleſtis neceſſitatem inſigni exemplo perdocendum quis facilè ſibi non perſuaſerit?

At pius Imperator, veri ſolidíque decoris appetens, ab inani faſtu inſolentíque elatione alienus, ſatis intelligere ſe oſtendit, vnde manaret felicitas, vnde victoria deſcenderet; cùm ſuam in arcem redux ab eâ, quam mox perſequar, feliciſſima excurſione, multiplicique vnius expeditionis victoriâ, ſolemnes Deo Opt Max. gratias nulla interpoſitâ morâ venerabundus agere inſtituit; vníque omnem illam triumphorum ſegetem, cui debuit, retulit acceptam. Æquiùs, igitur, Auditores, conuenientiúſque aſſeram, Immortalem Dominum, qui ſuos explorare aduerſis atque acuere ſoleat, ingenti

genti animo partem deeſſe præcipuam victoriæ materiémque gloriæ non ſuſtinuiſſe;vt qui ſemper eatenus in rebus proſperis & iure cauſæ & virtutis merito volitaſſet ex altera etiam fortuna ſanctiorem Chriſtanæ militiæ lauream adeptus inuicta patientiâ conſtantiâque triumpharet.

Ecquid vobis, Auditores, in defendendo Serino labore videor, atque ab ignominia vindicando? Sed quò ſumma denique recidit criminis & calumniæ? Diſceſſit ab arce, quæ vulgò inexpugnabilis haberetur, cùm eam plurimis grauiſſimíſque incommodis vexaſſet, ac tantùm non diruiſſet. Diſceſſit, ingruente hoſtium inſanâ vi, pertinaciùs inhærere obſidioni tum bellico Senatuſconſulto, tum paucitate militum & conſternatione prohibitus. Felix profectò Imperator, cui tandem ab iniquiſſimis obijci poſſit, non fœda fuga, ſed prouidus fortíſque inſtructâ acie receptus: non clades prælio acceptа; ſed indefeſſo labore miraque virtute affecta, defectu ac tarditate auxiliorum imperfecta victoria. Hæc vna belli offenſio, communis illi cum ſummis ætatum ſuperiorum, noſtrorúmque temporum Ducibus, nomen tanti viri non obſcurauit; ſed fortunati in omnibus, quæ propriis auſpiciis liberáque poteſtate adminiſtraret, Imperatoris famam aduerſitate potiùs ipſâ colluſtrauit. Maiorem ſanè in modum receptus ille vtilis accidit Reipublicæ; cùm, diſpoſito ad Muræ oram agmine, Serinus Barbaros Stiriæ, Croatiæ, Carinthiæ viciniſque gentibus minantes ac vaſtitatem longè latéque importaturos coërcuit: & fruſtra tentato ſæpe

tranſitu, nec ſine magna ipſorum clade, interclusit.

Qui me locus, Auditores, admonet, vt plura de celeberrima, cuius ſuprà mentionem intuli; Eſſexiana expeditione commemorem. Iactat ſuum antiquitas verboſa Coclitem Horatium: pontem illum, quem inſtitit, ampliſſimum gloriæ campum ac theatrum oſtentat. Magnum facinus! quis negat? Satorem hunc ſuum Roma, veriùs quàm Iouem, appellare potuit; qui labentem Rempublicam ſtitit, Hetruſcorum ingruentes copias ſiſtendo. Sed aude, miratrix veterum hiſtoria, potentem iſtum Sublicium cum Eſſexiano conferre; Thuſcos è Lydia profectos, cum Scythica Turcarum immanitate: breuem aliquam moram, aduerſis hoſtibus, dum à tergo pons reuelleretur; cum acerrima dimicatione pontem inuadentis, ferro ignique corrumpentis. Enimverò, ſiue pontis magnitudinem, ſiue vſum conſideremus, Auditores; iam vix decantatos illos Darij, Xerxis, Cæſaris, Trajani pontes, nedum Horatij, cum Eſſexiano comparandos neceſſe erit confiteri. Ac ne quis fortè rem à me nimium exaggerari verbis ſuſpicetur; ex iis quæ pauca de molis huius exædificatione & ſtructura dicturus ſum, opus totum æſtimet ac metiatur.

Cùm properans ad Sigethanam obſidionem is qui ſe Regem Regum, Europæ Aſiæque Dominum, Terræ Mariſque Poſſeſſorem inſcribere ſolitus erat, Hamſæ Prætori pontem imponendum inſternendúmque Drauo flumini mandaſſet: ſcribit ad Solimanum, ſtrenuus alioqui vir & ingentium Conſiliorum Adminiſter

ido

idoneus; pontem per altiſſimum ac rapidiſſimum Drauum fluuium & refuſas ab exundante Drauo paludes, nihilo faciliùs quàm per ipſas nubes agi extruique poſſe: rem iam ſæpè tentatam, ſemper aquarum violentiâ abruptam & diſturbatam. Quid ad hæc ſuperbiſſimus Tyrannus? Mantile ad Hamſam mittit, cujus in ora mantilis legem aureis literis exaratat fatalem; nec verò iis mitiorem legibus, quas olim ab Athenienſi Dracone latas, ſanguine perſcriptas Orator Demades affirmauit: iuſſa curet vtique; ni maturè ac tempori perfecerit, eodem illo mantili ad eius quem pontis impatientem cauſabatur, fluuij ripam eliſis faucibus ſuſpendendus. Quid non audeam deſperatio; quid non labor improbus efficiat? Tam imperioſâ diráque denunciatione Hamſa perterritus iuxtà & incitatus, inſanam ſubſtructionem totis viribus opibúſque aggreditur, operarum quinque & viginti millibus ad eiuſmodi molitionem adhibitis; militum ac nobilium hominum vi ſimul cum plebeia multitudine opificúmque cateruis enixiſſimè in id operis incumbente. Vbi trabes tignáque altitudo fluminis ac rapacitas defigi non patitur, nauigia validiſſimo inter ſe ferrearum catenarum nexu religata conſtituit; pontem denique inſtruit latitudine ad quatuordecim cubitos, longitudine ad plura milliaria porrectum.

Nec verò, vt incredibili celeritate perfectum, ita breui dilapſum eſt ſtupendum Turcicæ potentiæ monimentum pariter atque inſtrumentum. Stetit operoſa moles, non paucis die-

bus.

bus,vt veterum illi Perſici Romanique pontes; at ſolido ſeculo, ab Ottomanis ſummâ curâ diligentiâque conſeruata; &, ſi quid interdum aut vetuſtate labefactatum eſſet, aut quaſi fluctuum arietatione,reſtituta,interpolata & cōfirmata,ſtetit,quoad oppugnaretur à Serino.

Neque otioſus deinceps, quemadmodum ille in Danubio excitatus pons Trajani, & ad oſtentationem propoſitus reſtitit. Quàm frequens, quàm, non dicam opportunus, ſed plane Turcis neceſſarius huius Eſſekiani pontis vſus ad belli commercium, ad tranſmittendos in Pannoniam exercitus, ad commeatus inuehendos, ad vrbes prouinciáſque in officio continendas? Quamobrem plurimo eum lectiſſimóque præſidio inſederant, caſtellis obuallarant; firmarant repagulis; omni munimentorum ratione inſtructum, non ab iniuria modò, ſed à metu etiam iniuriam defendebant. Adde quòd eò perueniri poterat ſine longiſſimo in hoſticum procurſu,ſine inſidiarum periculo, ſine crebro in locis iniquiſſimis conflictu. Per continuas,nexáſque alias ex aliis contentiones ad majus periculum grauioremque contentionem veniendum.

Age nunc, inuſitatâ quadam felicitate per tantum hoſtilis ſoli tractum incolumes Dux copias traduxerit; commodè pontem oppugnarit,reſciderit:quid tum? quâ ſe viâ expediet? quâ vi, quâ induſtriâ reditum explicabit? per aſperas ſemitas malignáſque valles,per vaſtos ſaltus abruptoſque montes, per tumentium reſtagnantiúmque obices fluuiorum &

ſex

ſexcenta incommoda remetiendum iter, atque in ſingulos motus pro capite dimicandum. Chriſtianis nulla certè fœdior in Pannonia clades,quàm ad Eſſexium contigerat ; cùm ornatiſſimum exercitum Barbari , & quidem incruenta victoriâ (rem ante illud tempus noſtris inexpertam , iniquitate locorum oppreſſerant. Miſerandum in modum Ferdinandi milites circumuenti , diſſipati;alij paludibus hauſti limóque obruti,telis alij ad victorum ſatietatem conciſi periêre.

Adeſt , vices Deo mutante, adeſt qui labem illam Chriſtiani nominis inueteratam atque inolitam ſanguine hoſtium eluat ; tropæúmque ſibi in ſuperiorum Ducum & Imperatorum ſepulchris conſtituat. Ille, ille pons magnitudine immenſus, munitione præſidióque inuictus [cui reficiendo atque inſtaurando ſex ipſos menſes ,à Turcis impendendos fuiſſe narrant] à Serino abruptus & comminutus, perpetuum extabit eius conſilij ſapientiſſimi, excurſionis mirificæ, incredibiliſque virtutis monimentum. Altæ illæ paludes & lubricæ oræ quæ oppugnantem non retardarunt, quæ cruore hoſtium redundarunt ; quæ fragmentis fumantibus membriſque tantæ molis ſparſæ , opertæ , obſtructæ , immanis ſpeciem naufragij miſto inter aquas incendio retulerunt , montes illi , quos vltro citróque commeans ſuperauit ; campi ac ſalus , quos expeditiſſimè peragrauit; fluuij , quos ne leuiſſimo quidem accepto damno traiecit , Imperatorias Serini virtutes mutæ ipſæ regiones prædicabunt. Et

tan

tanta quidem Eſſexianæ illius expeditionis fama gloriáque extitit; vt hanc nominatim Rex in victoriæ ſinu genitus adultúque, nec tam Regijs inſignibus quàm triumphis auguſtus, illuſtri præconio commendare; & cùm ipſe pulcherrimum omnium ſit exemplar, aulicæ tamen Nobilitati celebrem excurſum victorámque in paucis memorandam vltro ad æmulationem proponere admirationémque non dubitarit.

Reliquum eſt, vt paſſim editam ſtragem vaſtitatémque prouinciis Turcarum illatam, ad implenda Heroïs noſtri encomia, generatim obeamus. Date hanc mihi veniam; Auditores, vt quaſi ad caput ſe reflectat oratio, eáque ſubnectat; quæ differre hactenus coëgit ipſa rerum inter ſe implicatio.

Erat illud in more poſitum inſtitutóque veterum Germanorum, ſi Tacito credimus, vt Duces ex virtute ſumerent. Id adeò factum à Pannonibus eſt, vt bello inſtante barbarico Imperatorem ſibi Nicolaum Serinum, non ex dignitate quâ eminebat generis, verùm ex ſingulari quâ præcellebat virtute, communibus votis à Cæſare impetrarent. Belli molem grauitatémque periculi, quam nulla ſatis oratione conſequi atque explicare poſſim, verbo complectar, Auditores, ſi modò autorem belli, calamitatis fontem capútque Turcam dixero. Vbi fatale hoc funeſtúmque nomen aures veſtras percuſſit; ecquid continuò immenſam potentiam, quæ Aſiam, Europam, Africam vno imperio deuinxerit; barbariem omni immanitate teterrimam, & inexpiabili ac pluſquam hoſtili

hoſtili in Chriſtianos odio bacchantem cogitatione informaſtis? Hic ille prædo regnorum & inſatiabilis helluo, magna iam parte deuorata terrarum, auidiùs orbi reliquo inhians;cum Daciam iamdiu ſpe ac deſignatione occupaſſet, in eam demortuo mutatóque ſubinde Regulo,ſic tanquam in caducam & vacuam hereditatem inuolarat. Iam arce Varadina & Nehauſalia, velut ianua effractâ reuulſâque,minis, terroribus. populationibus omnia miſcebat. Fatale Ottomannorum Signum Adrianopoli fanaticiſque in Chriſtanos diris intortis. Feruebant inſani apparatus:influebant in Pannoniam innumerabiles copiæ:tormentorum omniſque generis machinarum tractu ingemiſcebant flumina, campi contremiſcebant.

Magnum, vſque eò formidoloſis temporibus,fuit, ductum exercitûs, nec numero militum,neque commeatu ſatis inſtructi, aduerſùs potentiſſimum Barbarum non recuſare. Quid Serinus?ita bellicum imperium ſuſcepit, vt, inter obligandam Cæſari fidem, omnem curam adhibiturum ſe ſpoponderit, vt Maximi Veziri caput ad Auguſti pedes reportaret. Nec verò magnificentiùs dixit, quàm acturus fuerit; dediſſet modò ſe ille in diſcrimen, & manus cum Serino auſus fuiſſet conferre. Eandem profectò vim ſenſiſſet, quam expertus aliàs Baſſa fuerat adornatæ Seriniam in arcem expeditionis Ductor, fatali Comitis inuictiſſimi dextra proſtratus. Vidiſſet opimis ſpolijs ouantem Serinum Vienna;& caput belli,ab exercitato Duce amputatum, plauſu tota fuiſſet Pannonia proſecuta.

Sui

Sui ſecurus, ne qua parte timori eſſet obnoxius, vxorem liberóſque in ſinum deponit eius Reipublicæ, quîcum ſocietatem conſiliorum bellique in Turcas fœdus coniunxiſſet. Quæ quidem tanti Viri pignora ſummo cum honore apud Venetos habita, nec ſine ampliſſimus donis ac muneridus poſtea ſunt remiſſa. Tunc fortiſſimus Imperator ea cura ſolutus, totúſque in publicam Chriſtianorum cauſam incumbens, id etiam piè ſplendidéque excogitauit, vt ſolemni iurejurando ſeſe ad aras obſtringeret; præſentique, cui præliaturus erat Deo, planè deuoueret.

Eant nunc Romani Decij, ridiculis iuxta & impijs cerimonijs ac ſuperſtitionibus exſecrati veriùs quàm conſecrati. Hic ſupremo Imperatori & Præſidi victoriarum Deo ſacramentum coram ſanctiſſimo Euchariſtiæ myſterio dicit: inde animos, inde vires accipit. & largiſſima ſtipendia. Ac ſi Iudæ illi Machabæo viſus olim fuit Vates glorioſiſſimus, ſanctum gladium, munus à Deo porrigere, quo gladio aduerſarios dejiceret Iſraëlis; ecquid nouo Heroï, pro aris pugnaturo, ex aris arma ſuppeditata creditis, Auditores, quibus hoſtes capitales Chriſtianæ Religionis cæderet ac profligaret; Pios iampridem crudeliſſimè vexatos & grauiora paſſuros tegeret ac vindicaret; *Dei præſentiâ magnificè delectatus*, Deo duce & comite cunctis humanis viribus ſuperior?

Maiore profectò quadam vi præditum & animatum eſſe oportuit, qui tanta non modò ſupra ſpem gerendorum, ſed vltra geſtorum fidem præſtiterit. Parum illi fuit hoſticos limites perrumpere: in Turcicarum Prouinciarum

ſinum ac gremium penetrauit. Sua in Barbaros exempla conuertit ſæuitiæ neceſſariâ : Quinqueccleſienſem vrbem amplam & opulentam, quæ ſimulatâ deditione turmam è Serinianis interceperat, exuſſit:vaſtitatem ad quadraginta leucas circa Sigethum & Caniſam circumtulit. Tardior eſt mea Serini progreſſu oratio. Agmen non ducit;ſed rapit : neque ille curſus eſt victoriæ,ſed volatus.

Vt aſſiduas Turcis Tartariſque ab ſummo Duce illatas paſſim clades omittam : vna inſtar omnium expeditio fuerit. Mediâ & ſcilicet aſperrima,vt ijs oris, hieme, dum alij nullo ſatis tecto vim frigoris defendunt, incenſus animo Serinus in ſubditas Mahometanis regiones irrumpit.Poſt exciſum immanem illum Eſſekij pontem, plurimas vrbes quà vi, quà deditione occupat:multas conſumit igni;præſidium alijs imponit ; ſupra ſex Tartarorum ac Turcarum millia concidit ; innumeros in captiuitatem abripit. Quid terna equorum, vicena pecorum abacta millia percenſeam: quid ſupra quadragena ænea tormenta , ſigna & vexilla creberrima , è quibus ſeptena in ſpecimen tranſmiſſa ad Cæſarem ?Vel gregarij & tenuiſſimi quique milites præda locupletati,cùm quæ quiſque ex hoſtico rapuiſſet , ea publico magnificóque Serini conceſſu , propria vt iure optimo parta obtineret. Denique , vt rem præcidam , mille hoſtium vicos & oppida Serinus vna hieme, nec tota , inflammauit ; totámque adeo Turcicam in Pannonia ditionem deformauit incendijs , cædibus funeſtauit. O Virum Hunniadis & Scanderbegis accenſendum ! ô celeritatis

magni

magnificentiæ, fortitudinis prodigia & miracula!

Illud tamen, quanquam ad exitum feſtinat oratio, trãſilire, Auditores, nullo modo poſſum, quod Serino ad vrbem Caniſam, quò ipſemet ante obſidionem explorandi cauſâ acceſſerat, inſigne ad ſtuporem accidit: vbi duodecim tantum equitibus ſtipatus in ſilua à pluribus Turcarum cohortibus circumcluſus eſt. Quid ageret in ijs deprehenſa Virtus anguſtijs? Scimus iniquo & ſaltuoſo loco interceptum Romanum Conſulem iugum non detrectaſſe; circumuentum ab Fabio Maximo Annibalem, vix aſtu & ſtratagemate euaſiſſe; Marcellum, illum imperij Romani gladium, cùm ſpeculatoris munere Dux ipſe fungeretur, exceptum inſidijs, miſerè cum ſuis trucidatum. Serinus neque ignominiam ſeruituti ſubijt, nec incolumitatem dolo quæſiuit, neque inſidiatorum impetu vitam amiſit: verùm, ſubmiſſo diuinitus Croatorum manipulo, in circumfuſam multitudinem erumpens, ſibi Turcarum cæde libertatem, vitam, gloriam aſſeruit. Et quidem in latronum illorum agmine fuit, qui loricâ inuictâ & impenetrabili plagas omnes captus eluderet; vt bouis inſtar mactari hominem neceſſe fuerit. Atque is adeo certus ad prædam, vt rebatur, in caſſes delapſam accurrerat, vt laqueum ingentem è ſerico contortum attuliſſet ad vinciendum Serinum, quem Sultanus proſcripſiſſet infinito propoſito pretio, ſi quis viuum mortuúmue exhibuiſſet: Ita quem ferro vincere non valebat, auro oppugnabat.

At verò, dum taciti liberato Serino gratu-

lamini, acerbâ ſanè recordatione conturbor, Auditores. Silua illa, quâ in ſiluâ ſolus fermè Barbarorum copijs obſeſſus, extremum necis & ſeruitutis diſcrimen adierat, id obtrudit quod à me vos dudum exſpectare videmini; egò inuitus ac reluctans, vix adducor vt admittam animo, nedum oratione expromam. Cogitatione, mihi credite, perhorreſco; cùm Imperatorem omnibus virtutum numeris & partibus abſolutum, Heroëm illum inuictiſſimum; poſt Sigethanas, Eſſexianas expeditiones; poſt æquatas pugnis victorias, poſt vrbes gentéſque vno armorum impetu & continenti ſerie triumphorum domitas; illum Pannoniæ Vindicem, illum Chriſtianæ reipublicæ Aſſertorem; quem modò è ſilua, ſic tanquam leonem in canes venaticos, in confertos hoſtes erumpentem ſternentemque cataphractos Barbaros vidimus, atroci tragicóque exitu ab apro oppreſſum necatúmque cerno.

Tot igitur pericula euaſerat? toties è medio igni ac ferro ſaluus & incolumis redierat? toties Ottomannos fuderat, ceciderat, vt apri mole obrutus, morſu cruentatus, infeliciſſimam mortem oppeteret? Quàm optaret in hoſtilium caſtrorum oppugnatione animam & ſanguinem profudiſſe! quàm dignum ſuo genere tumulum in vrbium arciúmque ruinis inueniſſet! Nunc bello abſtinere per inducias coactus, atque à Mahometanorum vexatione temperare, dum paria cum bello facit aprorum acerrimâ venatione; ſauciam feram inſectatus per confragoſa ſiluarum, vix equo deſilijt ad conficiendam acinace belluam, cùm illa ad innatam feritatem accedente vulnerum dolo-

re, in rabiem acta, furioſo inſultu deijcit Venatorem; incumbénſque totâ mole corporis, Victorem iteratis in collo dentibus indigniſſimè iugulat; ídque tandem aſſequitur, quò fruſtra hoſtium vel cluſa vel infracta tela aſpirarant.

Hiccíne tibi, Sereniſſ. fortiſſime, ad necem campus gloriæ ſeruabatur, ſilùa & ſolitudo? hiccíne hoſtis, cuius dignitate vltimam calamitatem leuares, aper debebatur? hoccíne præmium ardor iſte vlciſcendæ profligandæque impietatis? hoc iſta ſolemnis ad aras capitis tui deuotio? hoc egregia virtus tot laboribus exhauſtis pro Chriſtiani nominis gloriâ meruerunt? O caſum acerbum Pannoniæ grauem Germaniæ, pijs omnibus luctuoſum! vni Turcarum gentilætum, ac ſanè multis in vrbibus feſtorum ignium pompâ celebratum! Cùm viderent Pannonici Baſſæ adhuc fumantes vaſtiſſimæ populationis reliquias & horrenda buſta regionum; non potuerunt non geſtire lætitia, extincto illo fulmine, cuius impetu conquaſſata, protrita, incenſa circùm omnia ſquallebant Sublato illo ſcuto, ineluctabili veriùs propugnaculo Romani imperij, gaudijs omnibus triumpharunt.

Eſt illud tamen ſolatium in malis, quòd talem ac tantum virum vir nullus ſuperare potuit; nec niſi victor vulnerati morientíſque portenti caſu eliſus occubuit. Vixit carus ſuis; magnus etiam ſummis; Regum Imperatorúmque gratulationibus ac donis cultus & ornatus; Chriſtianorum omnium & ſermonibus & ſcriptis, nec verò minùs Tartarorum ac Turca-

rum terrore, fugâ, exitio illuſtratus. Deerat iam exercendæ virtuti bellicæ materies;imperatorijs artibus explicãdis campus interclusus. Euocatus eſt ab Cœleſti Duce & Principe, poſt immenſos labores ad certam honeſtiſſimámque quietem; poſt pugnas innumerabiles & victorias, ad palmam & coronam immortalem. Prouidentiam rerum omniũ Dominam & Moderatricem ſapientiſſimam ritè caſtéque veneremur: ac rei Chriſtianæ commodatum ſeruatúmque vt populos ſeruaret, quoad belli Turcici neceſſitas poſtulauit, memori pióque animo gratulemur. Non aliquâ fortunæ inuidiâ mors illi prærepta eſt glorioſa; ſed arcano altiorique Numinis conſilio vita quàm breuiſſimo doloris ſenſu repetita ſeu potiùs cum beatiſſimo æuo commutata.

Quòd ſi longiùs proſpicientes, Chriſtianis rebus à perfidia timemus Barbarorum;non totus obijt Serinus, Auditores:viuit adhuc ſpirátque in Filio, exſpectationis maximæ adoleſcente, qui iam ſe abunde Venetorum ſapientiſſimæ Reipublicæ approbauit. Supereſt alter Serinus, vt heres munerum & magiſtratuum bellicorum, ſic virtutis conſors, & præclarè factis Nicolaï Serini verè germanus. Qui præter varias olim clades Ottomannis importatas, recens etiam ſic accepit Barbaros in Croatiam induciarum tempore incurrentes, vt ad querelas deſcenderint qui prohibiti fuerant iniuria. Atque hic tanti eſt vel apud eos ipſos quos peſſimè habet, in paucis Aulæ Cæſareæ Proceribus ſalutatus donatúſque ſit ampliſſimè ab Ottomannico Legato. Quid ego de huius Filio

lio

lio dicam, florentiſſimo Iuuene; qui luſtrare Galliam eſt aggreſſus; & quas toties à Patre Patruóque audierat, virtutes propiùs ſpectare, patriámque laudum obire inſtituit.

Certè cum domos ſtirpéſque Deus aliis alias dotibus notarit & inſignierit; Serinorum gentem eximio, vt Chriſtianè loquimur, Spiritu Fortitudinis armaſſe videtur ac decoraſſe, vt excubent in Sancti limitibus Imperij; furorémque Turcicum oppoſitu ſuorum pectorum à Pannonia, Germania, ceteriſque nationibus Chriſtianis, transfuſa Majorum in Poſteros virtute, auertant. Hanc illis propriam laudem perpetuámque, Auditores, precemur; vt Mahometanorum Terrores ijdem ſint & Orbis Chriſtiani Deliciæ, Belli præſidia & Pacis ornamenta.

NICOLAVS COMES SERINVS AB APRO CÆSVS.

CARMEN.

SILVÆ crudeles, ſiluæ, queis Martia Virtus
occubat,
Inuictámque animam cum ſanguine fundit
Chriſtiadûm SERINVS *amor terrorq; Getarum!*
Tantáne Apro iam ſemineci permiſſa poteſtas,
Quanta nec Ottomano collectis viribus hoſti?
Deſidis impatiens, dum bello parcitur, otî,
Haud mollem venatum agitat. Quàm barbara
mallet
Agmina, Turcarúmque greges! Sed pace coactâ,
Ludicro interea ſiluas certamine miſcet,
Probátque feras & Martis imagine gaudet.
Mutato ſubiit requies operoſa labori.
Ergo immanis Apri, mediâ ſub morte, ferocem
Inter luſtra fugam premit ardens iuuia victo
Et iam deſilit acer equo, ſtrictóque coruſcus
Obtruncare parat SERINVS *acinace prædam.*
Ah, nimiùm co nfiſe an ;mis, confiſe lacertis!
Vim compelle canum, flagr antis verbere plumbi
Deſuper ingemina plagas; neu cominus æquo
Aprum

Aprũ inuade ſolo, Paribus quondã occidit auſis
fortior Ancæus iuſto, Calydonia in alta.
Spumoſâ in rabie atq; ſuo ſe in ſanguine verſat
Vulnere fixus aper. Quæ te maleſuada cupido
Exſtimulat? ſpolia hæc triſti captanda periclo?
Tanti informe caput? Sed non reuocabilis inſtat
Vſque fero, & ſummos Venator deſtinat ictus.
Quid vos, ô, quorum exercent mortalia curas?
Non ego te, Dryadáſque tuas, Latonia Phœbe,
(Quâ ducẽ venantes olim, quâ præſide freti)
Appello, veterum commenta & crimina Vatum.
At vos, ætherij iuuenes, queis credita vita,
Credita regna virûm, Genij! Túque Optima
VIRGO,
(1.) *Pannoniam, ſacro deuinctam munere, gentẽ*
Reginæ imperio complexa, Parentis amore!
Túq; adeo, humanæ Princeps Vindéxque Salutis
Maxime, qui maria ac terras ſublimis Olympo
CHRISTE, *regis, præſens cuncta ad diſcrimina*
Numen!
Num decuit prohibere nefas (ah! parce dolori;
Publica damna queror) capitíque auertere tãto
Inſolitam exitij faciem caſúſque cruentos!
Veſtris ille tamen ſeſe deuouerat aris,
Vnde atras Ciconum tædas atque impia tela
Reppulit, exuuiíſque tholos diſtinxit ouantes
Templa coronauit ſignis. Decreſcere viſa
Cornibus obtuſis, captiuáque Luna pependit.
Nec minùs Odryſiæ clades certiſſima gentis,
Chriſticolûm armipotens & ineluctabilis vltor,
Concidit, & cæſo immoriens confunditur hoſti.
Corpore inhorreſcens toto, furiíſque refectus

[1.] Hungaria D. Virgini dicata à ſancto Stephano Rege.

Venanti ſe immittit Aper: ceu ſaxea pila,
Adriaco violenta ſinu quam machina adegit.
Iacta eliſa tonant maria, & ſpumantibus vndis
Tempeſtas inſueta fremit: via rupta barathro,
Pondere anhelat humus, tremefactáque littora circùm.
Setigerum atrocem Heroï ſic turbidus infert
Impetus: haud æquos animis palmaribus artus
Sternit bellua vaſta, feráque Erymanthide maior.
Tum ſuper inſanâ deiectum mole recumbens,
Multà reluctãtis iugulum roſtro haurit adũco;
Obliquum infigit repetito vlnere dentem.
Viderat exanimis, tragicóque CROATIA *caſu*
Perdita: tum mœſtis incendit vocibus auras,
Et magnum lamenta præit geminanda per orbem.
Heu furor, heu monſtri facinus! ferrum inter & ignem.
Incolumis, pugníſque aſſurgens omnibus Heros
Altior, indigna potuit ſuccumbere morti!
Nate, dolor Matris, Genitricis gloria, Nate,
Huccine tot parti bellis recidêre triumphi,
Victor vt indecori confectus denique leto
Sic iaceas? hæc Virtutem pretia ampla manebant?
Aſt ego Biſtonias metuebam improuida turmas
Vimque dolúmq; Tibi; ſeu cum reſcindere pontẽ
Eſſekium auderes, Getici commercia Martis;
Turbine ſeu rapido medios inuectus in hoſtes
Omnia cum ferro miſceres, omnia flammâ.
Ottomana ſed nil fraudes, Byzantiáue arma:
Forminandus Aper, ſaltúque exercita Pacis
Otia monſtrifero. Nam quò Te facta reſeruant?

(2) STROZ

(2.) STROZZIADÆ *inuideas,ſi quid, Fortiſſime, ſenſûs*
Reſtat adhuc.Traiectu auidos dũ fluminis arcet
Oſmanidas glandem flammatam fronte recepit,
Splendidáq;æternã retulit ſub funera laurum.
Tu felix,pulchrámque necem ſortitus, & iſto
Dignam animo,captis Byzanti mœnibus ingens
Corrueres,Cruce purpureus Scythicóque cruore.
Hoc miſeranda tamen,Princeps,ſolabere fata.
IamTibi ſat decorum,congeſtáq;præmia laudis:
Eximij ſimulacra Ducis volitantia longè
Per populos latéque coli tua nouimus ora,
Grandiáque immenſo celebrari nomina plauſu.
Et tua longinqui iactant præconia (3.) REGES:
diuerſâque Aula geſtis miracula rebus
Gratantes,donis abſentem inſignibus ornant.
Gloria & auguſtis manibus Te Fama coronat.
*Inuictus,*SERINE,*viris,victíque ruina*
Oppreſſus, tum caſtra petis fulgentia Diuûm,
Cœleſtem poſt ſacra ferens certamina palmam,
Iunctus Auis, meritóſque agitas ſuper aſtra triumphos.
At mihi quæ tanta fuerint ſolatia luctûs?
Tu Scutum & Gladius Patriæ,quo ſoſpite motus
Nunquam Threicios expaui, Oſmannica bella;
Quo Duce magnanimus inter caput ardua gentes.
Exulteram,præcincta nouis Regina trophæis.
NuncThracum effrænis expoſta incurſibus,orba
Præſidio,quid agam?ni Tu,clariſſime, Fratris,

[2.]Comes Strozzius Illuſtriſſimi Serini Collega,fortiſſimè dimicans occubuit ad oram Muræ fluuij,dum Barbaros tranſitu prohibet.
[3] Reges Chriſtianiſſ.& Cathol.&c.

Petre, vicem partéſque ſubis lux altera regni
Spéſque Salúſque mei! Nec tu ſacrata mouere
Bella rudis, Thracúmque fugacia cadere terga.
Túque agè fulminei vires animóſque Parentis,
Exſpectate, refer, laudéſq; haud degener imple,
O Iuuenis, per nota parem veſtigia greſſum
Strenuus accelerans. Et Auorum ingentia facta,
Et Pater & Patruus ſublimibus excitet auſis,
Serine, Odryſio nomen fatale Tyranno.
Hos inter gemitus complexa Croatia *Natū,*
Semianimemque fouet gremio, ſiccáque cruorē.
Pannonia excepit luctum; planctúſque ſecuta
Stiria Carniola & pallente Carinthia vultu,
Auſtriáque & comites trepido circùm agmine Nymphæ
Mœrorem ingeminant; leſſúmque Europa frequentat.
Quo (4.) *Zakaturnenſes infamat crimine ſiluas*
Sauus Aper, funeſtum & non medicabile vulnus
Germanæque Aquilæ & Veneti fleuêre Leones.

[4.] Zakaturnum, arx Croatiæ, è ditione Serini Comitis: quam ad vrbem dum venaretur, luctuoſiſſimo caſu interiit.

F*INIS.*

INDEX

ORATIONVM SELECTARVM quæ in hoc ſecundo Volumine continentur.

SANCTVS Auguſtinus Theologorum Ariſtoteles,ſiue de ſancti Auguſtini in rebus Theologicis auctoritate oratio. Auctore Sthephano Dechamps. 1
Panegyricus Ludouico XIV. dictus. Auctore Petro De Vallognes. 27
Ludouico XIV. Pro gemino pacis & coniugij fœdere panegyricus. Authore Petro Dozennio. 52
Ludouico XIV. Pro ſuſcepta per ſe regni adminiſtratione panegyricus, eodem Dozenio Auctore. 81
Mariæ Tereſiæ Auſtriacæ Chriſtianiſſimæ Reginæ Oratio Panegyrica. Authore Nicolao De Harouys. 109
Auguſtiſſimo Delphino Panegyricus. Authore Petro Boucher. 151
Genethliacus Delphino. Authore Franciſco Pomay. 185
Ariſtoteli Philoſophorum Principi, & Philoſophiæ parenti Elogium proluſio peripatetica. Authore Gabriele Roy. 205
Ludo

Ludouico XIII. Nancæi expugnatori Panegyricus Authore Iacobo Lambert. 238

In Diuam Radegundem Franciæ Reginam Regum Patronam Panegyricus. Authore Leonardo Frizon. 261

Diuo Franciſco Saleſio Panegyricus. Eodem Authore. 285

Nicolao Comiti Serino Panegyricus. Leonardo Frizon Authore. 311

FINIS.